





1719.

Hering, Ioh. Samuel : De Notitia veterum, Romaeorum,  
juri prudentia.

1722.

Schwarz, Andras Sigismundus : De jure consultis scripturarum  
sacram breviter interpolantibus

1730.

Horingius, Ioh. Samuel : De concursu senatus et  
civium circa causas civitatum provincialium  
in specie circa contenta statuta, electionem syn-  
odi, . . . nec non recta genera ac nesciorum  
in urbe extinenda.

1731.

1. Horingius, Ioh. Sam : De eo, quod post mortem, circa  
successionem ab intestato patris concurrentis,  
et defuncti patris Germani filii hereditatem.  
cum eum hujus patribus vel sororibus unicite-  
ratis, in civitate sed incolisi.

2. Röhrsachius, G. H. : De pacis parariis inter belligerantes.

1733.

1. Herringius, Th. Sam: *Si jure virginium et foliorum  
notitium in feudis Ponocenianis orientalibus*

2. Anadius, Mich. Ristorius: *De suada abye in favo ta  
foderum violatione*

1735.

Kistmacherus, Georgius Nathanael: *De formula Imperii  
regni Sacco-Gothici.*

1756.

Oetrichs, Th. Carol. Coss: *Oratatio de libris hec-  
ac. libror. fabis iuxta priuus libris comitis praefab-  
lioni loco catalago partis bibliothecae . . .  
Birolini . . . dividenda proemissa . . .*

1762

Oetrichs, Ioann. Carol. Coss: *De origine, necessitate  
et commodis consularis academici temporalis et  
ambulatorii speciationis Palaeo Metropolis. Oratio*

1765

Oelrichs, Joen. Corr. laus : De servis jancis portis aliquae  
magistratus apud Romas. Dissertatio hispael gyn-  
masiorum . . . Helveticus, Sollicius et Borzeus . . .  
jubilacione celebrantissima . . . dicata

1774.

1. Lieberkuech, Christianus Ludovicus : De experimento  
versicar. ac, methodo observationes LXVII novi  
juris controversi Historici de Behmer. Programma,  
quod ad lectiones extivias invitat.
2. Lieberkuech, Christianus Ludovicus : De origine coacervi  
mentalis non peregrina. Programma, quod ad lectiones  
sue hibernas invitat.







QDV  
SOCIETATIS  
HISTORICAE  
AUDITORES SUOS



12

Q. D. B. V.

7

*DISSE*  
**HISTORICO - POLITICA**

DE

1733, 2.

Fœda atque Infausta  
**Fœderum Violatione,**

QUAM

*Summo Adjuvante Numine,*

PRÆSIDE

**MICH. FRIDERICO QUADIO,**

S.S. Theol. & Philos. Doct. ejusdemque Prof. Publ.  
nec non Regii ac Illustris Gymnasii CAROLINI  
Rectore,

*Ad d. 27. Maij A. R. S. MDCCXXXIII  
Hora VIII. Ante meridianā*



In Auditorio Majori

Publico placidoque Eruditorum Examini  
submitte

AUCTOR & RESPONDENS

**ADAMUS LUDOV. de BLUMENTHAL,**

Eques Marchiæ ac Pomeran.

*SEDINI, Typis JOH. FR. SPIEGELII, Regii Regimin. & Gymn. Typogr.*

*PER-ILLUSTRI ac GENEROSISSIMO  
DOMINO,  
Dn. ADAMO LUDOVICO  
de BLUMENTHAL,*

Sacr. Reg. Majest. Porussæ in Negotiis ad res Belli &  
Domaniorum pertinentibus à Sanctioribus Consiliis, Dynastæ  
in Horst, Dalhausen, Blumenthal, Bansekow  
& Liepen &c.

Felicissimo Optimorum Liberorum Parenti,  
DE

*Nobili atque egregio Perquam Generosorum  
Filiorum Pari*

Dn. HENR. GEORG.  
&  
Dn. ADAM. LUDOV.) de BLUMENTHAL,  
Dn. ADAM. LUDOV.)

ē Regio atque Illustri Gymnaſio hoc CAROLINO

Ut multa cum laude Virtutis ac Eruditionis suæ,

Ita & fausto, Fauxit Deus, omne

In Almam VIADRINAM discessuro,

Ex animo gratulatur fausta que omnia appreccatur

DISSERTATIONIS HUJUS PRÆSES.

*PER ILLUSTRIS ac GENEROSISSIME  
DOMINE,  
PATRONE MAXIMOPERE COLENDE.*

**P**atiare, quælo, ut qui nuper tristissimum *Per Illustris Tua*  
*Familia* casum & jacturam nunquam reparandam,  
quam in præmatura morte *Conjugis Optimæ, omnibus-*  
*que sui Sexus virtutibus ut Ornatisimæ, ita & nume-*  
*ris omnibus absolutissimæ, passus es, serio dolui, & pro mea*  
*parte domesticum hunc luctum verbis qualiacunque solatia*  
*fuggerentibus, quoad fieri potuit, levare studui, nunc quoque*  
*in partem atque societatem domestici Tui gaudii veniam,*  
*quod ex Generosa illa Sobole percipis, quam Tibi Beatissima*  
*Tua, felici olim partu enixa, indubiam testem & pignus certis-*  
*simum Conjugalis sui Amoris reliquit. Ex qua, ut reliquos*  
*nunc taceam, *Fili* *Duo natu Maximi, Decora illa & Ornamenta**Gymnasii nostri, postquam per integrum biennium & quod*  
*excurrit, multa cum laude inter Studiosos Regii ac Illustris*  
*hujus Athenæi versati sunt, suaque modestia, morum probi-*  
*tate & singulari prorsus ac indefessa in studiis industria, o-*  
*mnes numeros Optimorum Civium impleverunt, edito nu-*  
*per edecumato eruditionis suæ Specimine, docte pro Cathe-*  
*dra differentes, dignissimos Academiæ Candidatos se præsti-*  
*terunt, Tibique adeo novam gaudendi, mihi vero gratulan-*  
*di materiam præbuerunt. Quo nomine, cum Tibi nemo*  
*non**

non fausta quæque ac felicia ominatur; quidni & ego latis  
congratulantium, Tibique bene precantium Votis mea quo-  
que adjiciam? cui Felicissima hæc & nonnisi ad Magna nata  
Ingenia, singenda, formanda, optimisque literis ac studiis im-  
buenda præ ceteris commendasti: In quibus, quantum in-  
tra biennii spatum, sub meo qualicunque, meorumque DNN.  
COLLEGARUM ductu ac moderamine profecerint, non opus  
est multis laudum encomiis hic prædicare, quippe quæ Tua  
Tuorumque Filiorum modestia prohibet, res tamen ipsa,  
& docta, quæ in Publico eoq; Illustrissimo Summorum Viro-  
rum Confessu, unanimi omnium applausu novissime prodide-  
runt, Specimina, me vel tacente satis superque loquuntur. Ni-  
hil igitur in præsenti præter pium illud addo votum: Ut Deus  
Opt. Max. hanc felicitatem, quam Tibi, Vir Per Illustris, in  
Filiis tam egregia indolis, magnamque de se spem præbenti-  
bus, velut propriam largitus est, diuturnam imo perpetuam  
esse jubeat, & in primis hos Natu Maximos, quos Tu ē sinu Pa-  
terno, nos ē Cœtu Gymnasii nostri, inter prolixissima divinæ  
benedictionis vota dimittimus, in certissimum Patriæ solati-  
um ac boni Publici emolumentum, nec non singulare Per-  
Illustris Tui Nominis Familiæque decus servet, ac tandem  
post absolvitum studiorum doctæque peregrinationis Cur-  
sum, salvos & incolumes Tibi patriæque reddat, multoque  
cum gudio restituat. Ita faxit Summum, quod omnia po-  
test ac moderatur, Numen! Scrib. V. Käl. Junii A. R. S.  
MDCCXXXIII.

Pro-

**S**iccine jam Themidos viridi spectabilis ævo  
TU JUVENIS quæris nocte dieque sacra.

Quæ Senes fugiunt tardos gravitate senili.

Demonstras nobis FLOS NIVEUS PATRIÆ.

Ingenio scandes tandem fastigia celsa;

Et proderis miseris dexteritate TUA.

Urgebo precibus Numen sic supplice voce:

Utque, abeas, redeas, Numine propitio.

Hisce plaudens Generoso pariter ac optimis  
in Litteris versatissimo Domino Respon-  
denti, Amico suo omnium suavissimo, su-  
um sincero ex corde provenientem affec-  
tum testari voluit

**C. G. de Podewils**

Eques Pomer. Oppon.

**E**n prodeunt Flores Aloina stirpe rubentes

Et reddit vegetis debita nata poli

Sub radiis solis; sub tempestate furente

Flaccessit tandem *Flos* oculos recreans

Ast mores recti conjuncti pondere mentis

Splendorem generi dant patriæque decus

Vivas florescas divina prosperitate

Id toto JUVENIS gratulor ex animo.

Hisce paucis, tesseram gaudii sui, erga generosum  
Dominum Respondentem, multa scientia im-  
butum, testari voluit.

**Johann David Dresow**

Cöslino Pomer. Oppon.

**D**ucere Majorum claris natalibus ortum,  
*Laus magna*, & clypeos Proavorum ostendere  
pictos;

Ast *Major*, genus hoc qui illustrat lumine mentis:  
*Maxima* virtutum clarescere schemate utroque.  
Hinc tuus hæc studiis cum fervor adaugeat; inde  
Præmia clara Tibi & ventura insignia, certum.

Generosissimo Doctissimoque Dissertatio-  
nis hujus DN. Auctori Respon-  
denti, gratulabundus fausta quæ-  
cunque ominatur.

**Joh. Alexander Nobilis de Plotho.**  
Eques Marchiæ pariter & Pom.  
Opponens.

---

**M**aturæ dotes, sortis præludia pingunt,  
*Laus Tua*, non expers, ominis esse potest;  
Fœnore tam largo, *Virtutis* præmia crescent,  
Fœderis ac fracti, jura parata doces.

Hanc Laudis, Votique Tesseram, Generoso,  
Ornatissimoque Domino Respondenti,  
Amico longe dilectissimo, suam testatus  
amicitiam, & prospera quæque precatus,  
apposuit.

**Carl Frid. de Natzmer**  
Eques Pomeranus.



\*\*\*

**C**onscium german, generis cedrini,  
Æmulō frondis, veluti conatu,  
Insitas, versus, foveat usque, celsum,  
Aëra Curas:  
Sic Tuis Venis, GENEROSE CIVIS,  
Æmulam laudis, Genus, atque Sanguis  
Inferunt, flammamque, animique Dotes,  
Stemmate dignas.  
Condoceas altis, Aquilæ, Columbas  
Debiles, nunquam volitare Nidis,  
Mentis, adnixus studiis, nitentem  
Prendere cultum,  
Inrepunt, lentis, Animæ minores,  
Gresibus, Virtutis Iter, nec ullō  
Præmii rari, Thaliæ sacratae,  
Igne calescunt;  
Ortibus Majorum, animata Virtus,  
Nubibus, contrâ, superis, sequaces  
Ingerit passus, neque lenta cursum  
Tardat arena.  
Hinc Tuis, Clio, debitum resudat  
Ausibus doctis, Decus, inque castris  
Palladis, cultæ documenta Musæ  
Gnava recludit.

Nu-

Nuperis nostris, patuit Palæstris,  
Præmiis, olim, saturanda dignis,  
Indoles Fratris, bene multa, naæti,

Commata laudis.

Nunc sequax, porro, clypeis sub aptis  
QVADII, profers, animi politi  
Signa, quæ nostris, canat, æqua Musa,

Addita votis:

Plaudimus tantis, igitur peritæ  
Dotibus mentis, cupidi, Tuisque  
Cursibus, pergent Zephyri, supernô

Flare favore.

Quæque maturô pede, prata tangis  
Palladis crescentia flore, Virtus  
Qua Tibi traxit, Decoris paterni,

Prævia sulcum,

Fausta gratamur. Revoluta tandem,  
Hunc pium in gyrum, mea vota, currunt:

**CELSA CONDIGNO REFERAS PARENTIS  
CULMINA NISU**

Votivo hoc Sapphico, præclaris, Generosi, ornatissi-  
mique Domini Respondentis, AD. LUDOV.  
de BLUMENTHAL, exultæ mentis Dotibus,  
publicæ Disputationis, DE VIOLATIONE  
FOEDERUM specimine, confirmatis, impenitè  
gratulatur, Ipsique ad Academiam abituro, omnia  
fausta, animitus cupid.

**Georgius Nathanaël Kistmacher**  
Hist. Civil. & Poët. Prof.

# Prooemium.



ancium semper & religiosum apud quascunque gentes, non cultiores modo, sed barbaras etiam, Fidei fuisse nomen, nemo ut opinor est, qui in dubium vocare audeat; utpote cuius asserti infinita passim in Historiarum monumentis existant vestigia. Quantum enim HEBRAEIS data fides fuerit in pretio, vel ex pacto Iosua & reliquorum populi Israëlitici antisitum cum Gibeonitis, licet per errorem & fraudem compacifcentium initio patet, quod fraude etiam detecta, tantum abest, ut rescindere fidemque jurejurando firmata fallere voluerint, ut potius populum murmurantem & prope rebellantem, blanda oratione sedare & mitigare nulli dubitaverint. (a) Ad GRÆCOS quidem quod attinet, fidem illorum suspectam reddere videtur non modo Quintus Curtius, (b) temporaria ipsis tribuens ingenia; sed ipsi etiam Euripidi, scriptori doméstico, seu Græco Pœtæ Tragico, (c) pessime hoc nomine audiunt cives sui, quando sequenti eos mactat elogio: Πιστὸς ἐλλὰς ὑδερ ἔσθεν, Fidem Græcia nullam novit. Non tamen ē contrario defunt, qui Græcorum fidei plurimum tribuendum, tantæque olim celebritatis eandem fuisse autem, ut Græca fides item Attica fides (d) plane in proverbium abierit, notetque fidem certam, firmam, minusque fallacem. Unde & Vellejus Paterculus: (e) adeo certa, inquit, Atheniensium in Romanos fides fuit, ut semper & in omni re quicquid sincera fide agebantur, id Romani Attica fide fieri prædicarent. *Ad eundem quo-*

A

que

(a) Ios. IX. (b) Curtius lib. IV. c. 5. II. (c) Euripides in Iphigenia Taurica. n. 1205. (d) Conf. Erosini Adagiorum Opus Chiliad. I. Cent. 8. num. 26. 27. item Adriani Turnebi Adverl. Libr. IV. c. 13. XII. 18. (e) Vellej. Paterculus Hist. Lib. II. c. XXIII. 4.

que modum Plautus (f) Græca fide mercari dixit, ubi non verbis nec stipulationibus res agitur, sed præsente pecunia; Et licet in malam partem hanc loquendi formulam accipere malit Vossius, (g) Erasmus tamen & Turnebus ll. cc. ad laudem hujus populi potius trahendam esse existimant. De ROMANIS nullum dubium est, quin fides huic populo in summo semper fuerit pretio atque honore, non eo tantum nomine, quod Etnica superstitione datus Numa primus omnium Fidei velut Deæ in Capitolio templum posuerit, Livio (h) & Halicarnasleo (i) testibus; sed quod fides singulorum pectora velut tempa inabitaret, quam non tantum cum sociis atque amicis, sed hostibus etiam, quantum in ipsis fuit, sanctissime coluerunt. Unde Florus (k) Romanis summam semper fæderum religionem fuisse ex vero pronunciat: Gellius (l) vero post ceteras virtutes, Fidem in primis Reipubl. Romanæ ex parvis initia ortæ, tanta & tam invicta incrementa attulisse autumat his verbis: Omnibus quidem virtutum generibus exercendis colendisque populus Romanus è parva origine ad tantæ amplitudinis instar emicuit, sed omnium maxime atque præcipue fidem coluit sanctamque habuit, tam privatum quam publice: id quod in subsequentibus multis in medium allatis exemplis comprobatur, ostenditque fidem Romanis non tantum pro Dea in templo cultam stetisse, quam potius omnium & singulorum mentibus adeo infusisse, ut nihil non ex fide egerint. Ad BARBAROS. (quo nomine Græcis atque Romanis omnes veniebant populi, qui à cultu, moribus & lingua ipsorum commercio erant alieni) progradientibus, longum utique foret, se per singulorum exemplaire animus esset: Juvar igitur in præsenti SCYTHARUM tantum & GERMANORUM meminisse. De SCYTHIS enim constat, quod Legatorum eorum Antesignanus in Oratione ad Alexandrum M. habita, qua Cur-

(f) Plautus iu Afinaria A&I. Scen 3. v. 47. (g) Vossius, Inst. Orat. L. I. p. 186.  
 (h) Livius Annal. Lib. I. c. 21. (i) Dionysius Halicarn. Antiqu. Rom. Lib. II. p. 134. (k) Florus Rer. Rom. Lib. II. c. 6. (l) A. Gellius. Noct. Attic. Lib. XX, 1.

Curtius(m) loquenter introducit, paucis quidem sed significantissimis simul verbis fidem suorum prædicaverit usque adeo, ut Græcis ipsis palam dubiam reddere videatur: Jurando, inquit, gratiam Scythas facire ne credideris, colendo fidem jurant. Græcorum ista cautio est, qui acta consignant & Deos invocant. Nos religionem in ipsa fide novimus. Qui non reverentur homines, fallunt Deos. GERMANORUM autem fidem quod attinet in tanta olim apud alios populos, Romanos in primis, fuit laude, ut summi imperatores, Principes atque, Magnates eorum præcipua in custodiis corporum usi sint opera, suamque illorum fidei crediderent salutem, ceu patet exemplis Augusti, Tiberii, Caligulae & Neronis Imperatorum, testibus Suetonio (n) & Tacito (o) in primis, qui præterea sequenti eos effert elogio: Nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse. Quem admodum autem nullum vita humanæ præsidium fide firmius est, nec ulla res, judice Cicerone, (p) vehementius Rempublicam continet quam fides; ita maximum in primis momentum habet in FOEDERIBUS & Pacis Gentium ac populorum inter se publicis, quippe quæ à fide omne suum robur ac firmamentum accipiunt: Cum è contrario perfida FOEDERUM VIOLATIO, ut plurimum decumana & infinita secum trahat mala.

Quod dum rationibus & exemplis ex amoenissimis Historiarum latifundis peritis bac qualicunque Dissertatione Valedictoria demonstrare mihi constitutum est, sine longiori verborum Syrmate atque Praefamine in rem præsentem me accingo; Summum ante omnia Numen, benignissimum servatae fidei remuneratorem; violatae vero severissimum vindicem, supplicibus veneratus precibus, ut sufficientes huic instituto vires mibi clementissime impertiatur, omniisque ex voto cedere jubeat.

A 2

CA.

(m) Lib. VII. c. 8. 29. (n) Suetonius in Vita Augusti cap. 49. nec non Caligula cap. 58. item Galbae c. 12. (o) Tacitus Annal. lib. I. 24. lib. XIII. 19. lib. XV. 58. & addie Lipsium in notis ad cap. 54. Libri XIII. annal. qui sine dubio amore ciuium suorum ductus, gloriam hanc velut propriam Batavis vindicare voluit: quo jure quave injuria alii viderint. Conf. interim Pitiscum in Not ad Suet. August. c. 49. 2. 9. nec non Lanfi Consultat. Orat. pro Germania. p. m. 83. sqq. (p) Cicer. de Officiis Lib. II. 24.

## CAPUT. I.

## DE FOEDERIBUS IN GENERE.

§. I.

**A**ntequam ad ipsius materiæ penetralia perveniamus à Titulo ordiri, inque originem vocis *Fœderis* brevibus inquirere, a proposito nostro non alienum erit: Siquidem ad uberiorem rei explicationem non parum confert circa verborum & tituli interpretationem quædam præmisisse. (a) Mira vero hic sentientium discrepantia est, dum alii fœdus a feriendo deducunt; quod olim, cum Romani fœdera pangerent, Fœdalis lapide silice porcam seu porcum feriret. Cujus ritus illustre admodum exemplum suppeditat celeberrimus ille rerum Romanarum Scriptor *Tit. Livius*. (b) Ubi, postquam Romani cum Albanis de tergeminorum fratrum certamine convenissent, M. Valerius Fœcialis, *Audi, inquit, Jupiter! audi Pater Patrate populi Albani.* *Audi tu populus Albanus, ut illa palam prima postrema, ex illis tabulis cerave recitata sunt, sine dolo malo, utique ea hic bodie rectissime intellecta sunt: illis legibus populus Romanus prior non deficiet.* Si prior defecerit publico consilio dolo malo, *Tu illo die Jupiter Populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum bodie feriam, tantoque magis ferito, quanto magis potes pollesque.* Id ubi dixit, porcum saxo silice percussit. Alii vero à fœdo seu inquinato porco illiusque foeda morte derivare volunt. (c) Quibus etiam annumerandus venit *Augustinus*, qui fœderis nomen *υτι φρασιν* dictum putat, quod res fœda non sit. Nec desunt qui illud à fide dictum esse volunt; (d) quia in fœderibus publica interponatur fides; quod Eymon & nos maximo præ ceteris nisi fundamento credimus! Hinc & quibusdam parum referre videtur fœdus ne, an fedus scribatur, licet

licet *Cellarius & Schurtzsteichius* (e) priorem per Diphthon-  
gum scribendi rationem præferant.

- (a) L. I. ff. de Rebus creditis. (b) *Lipius Histor.* lib. I. cap. XXIV.  
(c) *Math. Martinus* in Lexic. Philolog. Artic. Fœdus. (d) *Varro de Lo-*  
*Lat.* IV. 15. unde & antiquos fœdus profœdus scripsisse docet ex Ennio  
addita ratione quoniam federa servanda sunt cum fide. (e) *Cellarius*  
*Orthogr. lat.* 109. *Schurtzsteichius* Orthograph. Rom. p. 31.

§. II.

Quodsi usum hujus Vocis apud Scriptores tam Sacros  
quam profanos spectamus, non una ratione eandem adhibi-  
tam esse legimus. Ut enim taceamus alios significatus in Sa-  
cris literis occurrentes, quos ex nostris *Matthias Flacius*, (a)  
ex Pontificiis *Petrus Ravanellus* (b) aliique sedulo annotarunt,  
nemini non notum est, pactionem illam Dei cum Abrahamo  
& totam Oeconomiam illam salutis, quam Deus fidelibus Israë-  
litis ante Christum natum præscripsit, Scriptisque Mosis ac  
Prophetarum continetur, *Antiqui Fœderis* nomine venire;  
cujus Fœderis solennia Mosis prolixè describit Exod. XXIV.  
quemadmodum è contrario, ratio seu ordo Numinis agendi cum  
hominibus post tempora Messiae in carne exhibiti, quo eos ad  
æternam salutem consequendam perducere voluit, & cuius  
summam Scripta Evangelistarum & Apostolorum comple-  
tuntur, *Novi Fœderis* denominatione gaudet. Quorum illud  
Fœdus Legis seu Operum, hoc *Fœdus Evangelii* seu gratiæ vocari  
solet. (c) Atque in hoc significatu acceptæ voci Fœderis re-  
spondet Hebræorum בְּרִית & Græcorum διαθήκη.

- (a) *Flacius in Clav. Script.* 5. col. 343. (b) *Ravanellus* in *Bibliothec.*  
*Sacr. Part. I.* p. 631. (c) *Vid. B. Buddel's Institut. Theol. Dogmat. Lib.*  
*III. Cap. 1. 2. 13. 14. seq.*

§. III.

Ad profanos vero quod attinet scriptores, vocem *Fœ-*  
*deris* fatis frequenter de privatis pactionibus & quibuscumque

A 3

aliis

aliis confociationibus usurpatam esse videmus. Ita v. g. matrimonium, amicitia, hospitium, religio, apud *Livium, Ciceronem*, aliosque indubitate fidei ac probae notae auctores, Poëtas imprimis, cum addito foederis leguntur. Sic *Ovidius* (d) Fœdus conjugale, *Statius* (e) foedera genitalia, *Lucanus* (f) illibata foedera tori, *Properius* (g) incorrupta foedera lecti dixit. Quid quod ad impudicas amantium conjunctiones aliasque vetitas & illicitas confociationes, passim translatae deprehendimus; Ita *Cicero* (h) Clodium amorum turpisimorum foedera quotidie ferire dixit; *Catullus* (i) has ipsas Lesbiae pactiones vetitas, amicitiae foedera nuncupavit; *Tacitus* (k) conjuratas Legiones, tacito foedere se invicem obstrinxisse scribit. Ut nunc silentio prætereamus ipsum illum nexum seu ordinem, quem Deus rebus à se conditis indidit, & quo, velut insolubili quodam vinculo & arcana immutabilique lege, continentur, foederis nomine quandoque venire apud Duumviros illos Rei Rusticæ scriptores, *Virgilium* (l) scil. & *Columellam*; (m) quorum ille sic cecinit. *Continuo has leges aeternaque foedera cœris imposuit natura locis;* Hic vero easdem naturæ leges *Secreta fædera cœli vocavit.*

(d) *Ovidius* pasim. (e) *Statius* in Achill, II, 354. (f) *Lucanus* II, 342.

(g) *Propertius* Lib. IV Eleg. 3. (h) *Cicer. Orat. pro M. Cælio* cap. 14.

& adde *Nic. Abrami Iesuitæ not.* ad h. loc. (i) *Catullus Epigramm* 41.

(k) *Tacitus Hist.* Lib. I. cap. L. IV. (l) *Virgilius Georg.* L. I. v. 60.

(m) *Columella de cultu Hortorum seu de Re. Rust.* Lib. X. 16.

#### S. IV.

Verum enim vero, omnes has fœderis significationes, ut pote valde impropias seu metaphoricas, ex parte etiam per abusum & insignem ναζάρησιν adhibitas, hujus loci haud esse, nemo tam rudit est quin intelligat; cum nobis non de fœderibus Sacris Dei cum hominibus vel hominum, cum Deo, (n) sed Profanis atque Civilibus Principum, Rerumpubl. & Civitatis

vitatum inter se; non de privatis sed publicis; non de prohibiti atque illicitis, sed honestis ac licitis agere animus sit.

(n) Recte proinde monet *B. Buddeus* loco supr. cit. nec non in *Instit. Theol. moral.* P. II. c. III. seq. IV. 2. 10. in notis. item in *Itagoge Theol.* p. 430.  
Ubi de methodo quorundam Theologorum agit, in primis Reformatorum, qui sub Schemate Fœderis Dei cum hominibus universam Theologiam Dogmaticam pertractarunt, caute hic incendum nec ultra quam pars est istam fœderis notionem in rebus divinis extendendam esse. Nec enim omnia quæ in humanis fœderibus observantur, in eo quoque, quod Deo cum hominibus intercedere dicitur, locum inveniunt. Conf. interim *Testmarum* in Not ad Grot. I. c. 1. §. 3. & qui primo loco nominandus erat solidissimeque hanc materiam pertractavit, *Seb. Gabelium*, in Disp. Inaugural. de *Pactis & Fœderibus Dei cum hominibus*, sub Praesid. D. Ioh. Musæi habita Jenæ 1676.

### §. V.

Definitur autem Fœdus in genere, quod sit pactum seu *Conventio publica ab illis, qui Summam potestatem habent, sive ob communem, sive alterutrius utilitatem facta:* \* vel, prout *Ioh. Nicol. Hertio* (a) illud definire placuit, est statutus duarum vel plurium Civitatum sub pacto de amicitia colenda, vel auxiliis praestandis, vel commerciis exercendis sociatarum, sine imminutione imperii; vel denique, breviter illud describente *Ioh. Christ. Beccmanno*: (b) est pactum publicum de mutuis auxiliis; quæ tamen Definitio minus adæquata, sed paulo angustior esse videtur suo definito. Qui igitur cum *Hertio* generis loco in Definitione ponunt *Statum*, fœdus spectant non in fieri, sed in facto esse; non ineundum sed initum, verbo, non actum conventionis, sed statum conventorum. Neque tamen aberrant, qui *Pacti* seu *Conventionis* notionem in Definitione fœderis adhibent: quia fœdera cum pactis id commune habent, ut consensu duorum vel plurium in idem placitum conspirantium contrahantur; vel quia sunt conventiones, quibus duo vel plures certis conditionibus sese obligant, & si minus stent dictis atque promisis, aut ad damnum aut ad pœnam se mutuo obstringunt: (c) Ut adeo proximus fœderum effectus seu consequens

quens idem sit, qui omnium pactorum esse solet, h. e. mutua obligatio, sive ad præstandum id, de quo inter pacientes convenutum est; vel ad pœnam, si forte una alterave pars promissis minus steterit, aut pacta conventa quocunque modo violaverit, quæ nonnunquam ipsis fœderum instrumentis disertis verbis inferi solet. Quemadmodum Jo. Froissardus (d) testatur Anglos Gallosque inter se cavitse sub pœna vicies centenorum millium, ne fœdus violaretur. Et Gilb. Burnetus (dd) refert, Carolum V. cum Henr. VIII. Angliæ Rege fœdus novum iniisse, ac matrimonium cum Regis unica filia Maria contraxisse, atque illam, ubi ad ætatem pervenisset, per verba de præsenti, in uxorem se ducatum, sub poena Excommunicationis & multa 10000. librarum promisisse. Publica vero dicuntur, partim in discrimen *a pactis* privatorum & ipsorum etiam imperantium, quatenus inter se agunt non jure imperii, sed privata auctoritate circa negotia privata, (c) partim etiam in discrimen *ā Sponsionibus*: Fœdera enim panguntur jussu Summæ potestatis; Sponsio autem est, ubi is, qui a Summa potestate ejus rei mandatum non habet, aliquid promittit, quod illam proprietangit, (e) quæ nec principem obligant, nisi ratihabitio accepserit. (f) Certe hanc ob causam Galliæ Rex pacem 1630, in comitiis Ratisbonensibus in causa Mantuana sanctam eo prætextu irritam judicavit, quod Legatus ejus Brularius manti finis transierit. (g) Quin imo Sponsionum auctores apud Romanos atque ac Carthaginenses (h) gravissimis afficiebant suppliciis, quod feliciter gesserant Deorum immortalium auxiliis, quod male commiserant ipsorum culpæ imputantes. (i)

<sup>"</sup> Vid. Buddeus in Element. Philos. Praef. Part. II. c. 27. sect. V.

- (a) Hertiū in Element. Prudent. Civil. Part. I. Sect. VIII. §. 4. Adde. Grotius de I.B. & P. L. II. cap. XV. 2. 3. (b) Beccannius in Conspect. suo Politico c. XXVI. (c) Vid. Buddeus in Elem. Phil. Praef. P. IV. Sect. 4. §. 8. (d) Froissardus in Epitome de Bellis Engl. & Gallor. (dd) Burnetus in Histor. Reform. Eccles. Anglic. Part. I. L. I. fol. 3. & L. II. fol. 21. (e) Grotius

- (e) *Grotius*. l. c. *Buddeus*. in *ELEM.* *Phil. Praet.* l. c. §. 17. (f) *Verba Sparii*  
Posthumii auctoris sponsonis Numantiae haec sunt: *Injussu populi nego  
quicquam faciri posse quod ipsum teneat*. *Liv. IX. 5.* (g) *Amelotus* in *Observa-  
tionibus super pactis summorum imperantium* pag. 40. (h) *Valerius*  
*M.* *Lib. II. c. 7. n. 6.* vid de-hac materia *Clar. Dn. Thomae sum* in duabus  
Disl. de sponsoine Caudina & Numantina. *Strykium* in *Diff. de obligatione*  
*Principis ex facto ministri*. *Grotius* de *I. B. & P. lib. II. c. 18. §. 2.* (i) *Li-  
bus Hilt.* *Lib. 39. cap. 48.* circa fin.

### §. VI.

Secus autem est, si literis, quibus Legato fides & au-  
ctoritas conciliatur, illud insertum est: *Omnia rata fore, quæcunque  
egerit aut pactus fuerit.* Quale exemplum in Tractatibus Cæsa-  
reo-Svecicis Osnabrugensibus de anno 1648. occurrit, ubi  
Regina Sveciæ hocce mandato Legatos suos, Dominum Can-  
cellarium Regni de Ochsenstern & Dominum Salviu[m] instruex-  
erat: *Eis plenam ac tanta rei sufficientem potestatem tribuimus, ut  
cum iis, quos Cæsarea Majestas ad hanc rem legitimis ac sufficientibus  
mandatis ac plenipotentia instruxerit, Commissariis vel ipse vel per  
subdelegatos suos congregiantur, tractent, agant & statuant de viis,  
mediis, ac conditionibus, quibus propositus utrinque scopus, amicitia  
nimirum & pacis redintegratio obtineri ac stabiliri possit.* *Quicquid*  
*igitur dicti Legati nostri cum alterius partis Commissariis aut eorum  
Subdelegatis in bunc finem sive per se, sive per subdelegatos suos, tracta-  
verint, egerint ac statuerint, non obstante alterius absentia, morbo  
aut alio gravi impedimento, id nos omni meliori modo gratum ratum-  
que habitus, vigore barum regia & inviolabili fide promittimus.*  
(a) Hac enim ratione princeps omnino obligatur & ad facien-  
dum ea, quæ legatus promisit, adstringitur.

(a) *Mich. Caspar Londorpius* *Lib. IX. Aector, publicor. cap. II. in fin. §. 22.*

### §. VII.

Reliqua Definitionis verba innuunt partim Subiectum,  
vel potius causam efficientem & procurantem i. e. personas  
fœderantes; partim Materiam sive Objectum, denique &  
finem seu scopum fœderum. Personæ igitur, quibus compe-  
tit

B

tit jus fœdera faciendi sunt Principes & civitates summam potestatem habentes, vel, ut Grotius loqui amat, *qui gaudent jure imperii majoris*: sive sit Princeps in statu Reipubl. Monarchico; sive sint Optimates in statu Aristocratico; sive populus in statu Democratico. Quo jure fœdera faciendi, cum inter se, (a) tum etiam cum exteris, ipsos quoque Principes Imperii Romano-Germanici gaudere, & rationibus validissimis, & exemplis evidentissimis, contra Gallos invidos & obtrectatores, solide probatum & vindicatum ivit. Illustris Dn. Godofr. Guil. Leibnitius, (b) peculiari Tractatu, de lute Suprematus ac Legationis Principum Germaniae; Et præterea per Sanctionem Imperii Pragmaticam, h. e. Instrumen-*tum Pacis Westphalicae* (b) extra controversiæ aleam positum est, ubi inter alia hæc leguntur verba: *Cum primis vero ius faciendi inter se & cum exteris Fœdera pro sua cuiusque conservatione ac securitate singulis Statibus perpetuo liberum esto, ita tamen, ne ejusmodi fœdera sint contra Imperatorem & imperium pacemque ejus publicam, vel banc in primis transactionem; fiantque salvo in primis jumento, quo quisque Imperatori & imperio obstrictus est.* Unde per se patet, neminem privatorum, nisi auctoritate publica & plenitudine potestatis à Principe vel Republ. instructus sit, Fœdus proprie sic dictum valide inire posse,

(a) Ceu patet exemplis notissimum illorum fœderum, puta Sueci anno 1488, Imperante Friderico III. securitatis causa à præcipuis istius Circuli Statibus initi; nec non Smalcaldici, ab oppido Comitatus Hennebergici ita dicti, ibidemque à Statibus Germaniae Protestantibus, pro defensione Religionis Evangelicæ anno 1530, ad quinquennium sancti, eoque elapsa ad decennium continuati, quo finito, infelix illud Bellum Smalcaldicum cæptum est. (b) De genuino Auctore solidissimi hujus Scripti, quod sub *Caesarini Fürstenerii* nomine secunda vice auctius & correctius, sed sine loci & typographi mentione prodit. 1678. in 8. vid. *Placuum de Script. Pseudon. n. 113. p. 297.* ubi nec *E. Pufendorfium*, nec *Ludolphum Hugonem Vice-Cancellarium Hannoveranum*, neque etiam *Ezechielem Spanheimium*, aut *D. Bernb. Kohn*, sed illustrem *Leibnitium* illius auctorem esse, testimonis omni exceptione majoribus ostendit.

(b) Vid Instrum. Pacis Westphal. §. *Gaudient*,

§. VIII<sup>2</sup>

Opportune hic incidit quæstio : Utrum etiam inter Prin-  
cipem seu imperantem & subditos atque vasallos foedus seu pa-  
ctum aliquod publicum proprie sic dictum iniri, initumque  
effectus iuris foederum habere possit, nimirum ut violato iulo  
ab una parte, altera quoque mutuae obligationis, h. e. fidei &  
obsequii vinculo solvatur ? ad quam quæstionem antequam  
respondeamus, omnino prænotandum est : Regna & Imperia  
non unius esse generis sive conditionis ; Alia enim sunt Absolu-  
ta, alia Limitata ; alia, ex ratione seu modo habendi, vel patrimo-  
nialia vel non patrimonialia ; Denique alia Successiva, alia Elec-  
toria. In imperio igitur absoluto, quod summus imperans ex  
proprio judicio citra obligationem ad normam certorum ac  
perpetuorum statutorum, prout præsens rerum conditio exi-  
gere videtur, pro lubitu, salva tamen juris naturalis observatio-  
ne, administrare potest ; Item in imperio Successivo & patrimo-  
niali, sive illud à majoribus jure hæreditario in se fit derivatum,  
sive armis quæsitum, sive alio quocunque modo legitime &  
pleno dominio partum, nulli foederi seu pacto publico inter im-  
perantem & subditos atque vasallos est locus ; quia hic cessat  
omnis obligatio, sive ex lege sive ex promisso orta, saltem ex  
parte imperantis. Secus vero se res habet in regnis, quæ nonnullis  
Politicorum legitima vocantur, seu in Imperiis limitatis & mix-  
tis, non patrimonialibus & electoriis ; quando per liberam electio-  
nem liberi alicujus populi, Majestas seu summa potestas, in per-  
sonam aliquam seu principem, sub certis conditionibus, pacis at-  
que conventis, quæ vim justæ legis habent, & proinde etiam Legi-  
um fundamentalium nomine (licet voce Legis valde improptie  
& abusive accepta) venire solent, confertur, adeoque imperans &  
subditi mutua stipulatione se invicem obstringunt. Hoc enim ca-  
su, vinculum illud, quo Imperans & subditi continentur, omnino  
foederis, seu pacti alicujus publici naturam induit ; ita, ut uno

pactum non servante, ab altero idem tuto negligatur; quo factō omnia irrita sunt, & partes pacientes ad illum statum, quo ante pactum seu fœdus initium fuerunt, referuntur, h. e. populus, qui per pactum illud factus erat subditus, seque alterius imperio submiserat, ad pristinam reddit libertatem; Princeps vero seu Imperans in privatam vitæ conditionem, saltem illius, quod sub conditione acceperat imperii, recidit. (b) Cujus generis pæcta seu fœdera inter Regem ac Ordines Regini Polonici; item, in Imperio Romano-Germanico, inter Imperatorem & Status seu Principes Imperii obtinent. Quem in finem etiam inde à temporibus Caroli V. Imperatores recens electi ad certas quasdam Formulas, quas *Capitulationes* vocare moris est; Reges vero Poloniae, ab excessu Masculorum familia Jagellonicæ, ad præsens usque tempus, itidem ante solennem Inaugurationem, ad certas Conditiones, quas *Pacta Conventa* vocant, jure jurando se obstringere tenentur. (c)

(a) *Subditorum* nomine h. l. non intelliguntur Subditi mere tales, seu pure obediētes, qui nullam Majestatis particularam obtinent; sed potissimum subditi, quos B. Scherzerus ita vocat, *mixti* seu *Eminentes* atque *Vasalli*, qui in partem Majestatis & curarum Reipubl. veniunt, & jure suffragandi in Republ. gaudent, qui pro diversitate Regniorum & Imperiorum Ordines, Status, Proceres vel Senatores appellari solent. (b) Vid. *Pufendorff.* de J. N. & G. L. VII. c. 6, §. 9. 10. s. q. It. 10. *Phil. Paltnerius* in *Dissert. de Betheronia*, §. 12. (c) *Conf. Nic. Zalafzowski* de Jure Regini Poloniae Lib. I. Tit. 9. Ubi variorum Regum pæcta conventa, subjunctis simul juramentis solennibus hac occasione præstari solitis collecta exhibet.

### §. IX.

Objectum fœderum vel officia complectitur universalia, h. e. mutuam pacem & amicitiam; in primis cum populis vicinis Barbaris, qui posthabita & neglecta lege naturali seu distamine Juris naturalis, de non lædendis aliis, ex rationibus utilitatis, in quoscunque latrocinia exercere sibi integrum putant. Cujus generis fœdera ex eo tempore, quo homo homini lupus fieri cœperit, inventa esse autumat *Job. Tesmarus*, (a) qua que  
Pufen-

*Pufendorfius* (b) velut inutilia vel saltem supervacua, inter gentes moratiōes & Christianas, reiicit, addita ratione; quoniam pertale fœdus nihil superadditur obligationi Lēgis naturae, ad quod non antea jam homines ipsa lege naturali tenebantur: Vel sunt *auxilia mutua*, sive alterutri parti citra imminutionem imperii præstanta; vel denique sunt commercia aliaque negotia ad decus, utilitatem & securitatem, verbo, ad salutem publicam spectantia: Hęc enim, ut suprema lex Imperantium in quoque negotio, ita etiam in Fœderibus pangendis faciendisque, primarius atque præcipiuus eorundem finis & scopus esse debet.

(a) *Tesmarus* in Not. ad Grot. L. II. c. 15, §. 15, (b) *Pufendorf.* de I. N. & G. Lib. II. c. 2, §. 1.

### §. X.

Ad Divisionem Fœderum quod attinet, instituti nostri ratio non quidem permittit, omnes & singulas eorundem Distinctiones adducere; præcipuas tamen, quæ Politicis & Juris naturae Consultis in usu esse solent, in medium proferre, a scopo nostro haud alienum ducimus. Mittimus igitur minus congruam illam Fœderum Divisionem, quam, judice Grotio (a) Menippus Regis Antiochi ad Romanos Legatus magis ex usu suo, quam ex præscripto artis adhibuit apud Livium: (b) Qua tria fœderum esse genera dixit, quibus inter se pacifcerentur amicitias civitates regesque; Unum, cum bello victis dicerentur leges; Alterum, cum pares bello æquo fœdere in pacem atque amicitiam venirent; Tertium, cum qui hostes nunquam fuerint ad amicitiam sociali fœdere inter se jungendam coeant: Vix enim primi generis pacta fœderis nomen merentur, nisi significatum hujus vocis tam late extendere velis, ut ad ipsas etiam pactiones eas referamus, quæ imperii imminutionem, vel saltem insignem fœderis conditionum inæqualitatem inferunt,

runt, & civitates quandoque faciunt irregulares, quales sunt, quæ Clientelares, Feudales item Vestigales seu tributariæ dici solent, & quarum exempla in historia cum Romanorum, tum aliorum populorum, pasim occurunt. (c) Quanquam, si dicendum quod res est, potentissimis saepe Principibus ac Rebus publicis id usu veniat, ut pacem vel durissimis conditionibus à victoribus, vel etiam securitatem in primis Commerciorum ab ipsis Barbaris & Pyratis pecunia redimant, nequicquam tamen per hoc immutata vel imminuta eorum Majestate; Cujus generis fœderæ Politici hodie vocant inæqualia, & de quibus mox suo loco dicemus.

(a) Grot. I. c. §. 4. Adde Bodinum de Republ. L. V. c. 6, p. n. 907. (b) Livius Lib. XXXIV. c. 57. (c) Conf. Grotium. L. I. c. 3, §. 21, nec non lo. N. Hertium Elem. Prud. Civil. Part. I. Sect. 12. §. 9. seqq. & adde Seldenus de I. N. & G. juxta Disciplinam Hebr. Libr. VI. c. 14.

### §. XI.

Magis recepta Fœderum divisio est, quæ à Subiecto seu partibus paciscentibus peti solet. Ita enim alia sunt *Personalia*, alia *Realia*. Illa dicuntur, quæ ad certam aliquam personam sunt alligata, eademque moriente iterum exspirant. Ex quo fundamento Elector Saxonie Jobannes Georgius I. post obitum Regis Sveciae Gustavi Adolphi fœdere cum eodem in bello tricennali inito, (a) se ulterius teneri negabat, quoniam fœdus tantum personale fuisset, ceu videre licet ex Epistolis Electoris Saxonie ad Christinam Sveciæ Reginam datis, quæ leguntur apud Londorpium. (b) An vero Serenissima quondam Angliae Regina Anna ex eodem capite à fœdere illo Triplici, Anglos inter, Batavos & Imperatorem inito, post obitum Josephi Imperatoris resilire, & desertis fœderis illius sociis, seorsim cum Gallo pacem componere potuerit, aliorum esto judicium. (c)

(a) Capita hujus fœderis vide apud Pufend. de Rebus Svecicis. Lib. III. §. 27. (b) Londorp. Act. Public. Tom. IV. (c) Vid. interim Ad. Frid. Glasty Ver. nunfst und Wölter Recht. L. III. c. 5. §. 175. seqq.

### §. XII.

*Fædera autem Realia vocantur, quæ in ipsa re radicata sunt, durantque quamdiu res ipsa permanet, & transeunt in successorem:* (a) Qualia sunt omnia illa fœdera, quæ præter Regem, regni quoque populi que tanquam partis compacifcentis in tabulis pectorum mentionem faciunt; quoniam Regna & Républicæ sunt æternæ & immortales, nec populus unquam mori præsumitur, siquidem in demortuorum locum semper succedunt alii. Sunt tamen & alia adhuc fœderis realis criteria: utpote, si ob utilitatem integræ Civitatis factum sit, inque eo Successorum aut hæredum mentio injecta fuerit, vel etiam salutarem illam formulam, satis frequenter in fœderum tabulis obviam, quod perpetua æternaque esse debeat, in fronte gerat; Quantum & realia esse possint fœdera, quæ ad certum annorum numerum sunt restrictæ & determinata. Cujus generis fuit fœdus illud, inter Athenienses & Lacedæmonios quinquaginta annis definitum, cuius summam *Thucydides*. (b) his tradit verbis: *Esse fœdera annos L. Atheniensibus ac Lacedæmoniis & utrorumque sociis pura & innoxia vel terravel mari.* Nec licere neque *Lacedamonii*, neque *Atheniensibus eorumve Sociis*, arma sibi invicem inferre detrimenti causa, ullâ vel arte vel machinatione: quod fœdus utrinque jurejûrando fuit confirmatum. Et sine dubio ejusdem naturæ est fœdus illud, seu potius *Armillitium*, ( si novo hoc Politico-rum vocabolo uti fas est) quod *Pastorovizii* d. 21. Jan. Anno, 1718. Imperatorem inter Romanum *Carolum VI* & Magnum Sultanum *Achmet Hanum* ad XXIV. annos, 20. Articulis conclusum est, addita in Instrumento pacis hac Clausula: *Quod quæcumque bac ratione inter utramque Majestatem eorumdemque hæredes Imperia & regna, terra item marique sicas regiones, civitates, urbes ac subditos, stabilita pælaque essent, sanctæ, religiæ, & inviolabiliter observari debeant.* (c) Unde & Successor eius, hodier-

hodiernus Imperator Turcicus, Antecessori suo ē solio imperatoris dejecto surrogatus, ad idem fœdus servandum, jure gentium obligatus est.

(a) Pufendorf. de I. N. G. Lib. VIII. c. 9. §. 7. (b) Thucydides, Lib. V. p. m. 355. (c) Vid. Infrument. Pacis Passaroviensis in der Europäischen Fa-  
ma. Part. 215. p. 963. seqq.

### §. XIII.

Ratione Materiae sive Objecti, Fœdera itidem multiformam dividuntur. In genere sunt alia, quæ nihil, præterquam quod jam antea juris naturalis erat, constituant; alia vero, quæ officiis juris naturalis aliquid superaddunt. (a) Prioris generis sunt, quibus de simplici duntaxat humanitate & amicitia inter se exercenda, aut de noxa invicem haud inferenda partes pacientes conveniunt. Quale fœdus, ex mente Pufendorffii illud Lacedæmoniorum fuit, quod cum Rege Persarum Dario ejusque filiis ac Tissapherne pepigerunt, & cuius summa, Thucydide teste, hæc fuit: (b) Quæcumque provincia arque urbs regis est Darrii aut patris fuerunt, aut progenitorum, in has ne eant aut belli aut quoquo modo nocendi ergo, vel Lacedæmonii aut Lacedæmoniorum socii. Nec vicissim rex, aliquisque eorum quibus rex præst, aduersus Lacæmonios eorumve socios eat belli ergo, aut quoquo modo lædendi. Sed quod Grotius & ex eo Pufendorffius (c) recte monet, ejusmodi fœdera hodie vix locum habent apud gentes moratores vel Christianas, nisi cum Barbaris, infidelibus & à vero Dei cultu alienis populis ipsis res est, apud quos dogma illud Juris naturalis de non lædendis aliis, præcipue exteris, quos promiscue pro hostibus habere solent, vel ex vitio educationis, vel ex longa consuetudine, oblitteratum est.

(a) Vid. Grotius. I. c. §. 5. & Pufendorffius. L. VIII. c. 9. §. 1. 2. (b) Thucy-  
dides. Lib. VIII. p. 571. & p. 586. (c) Loc. supr. ad. §. X. cit.

### §. XIV.

Posterioris generis Fœdera, quibus communibus Juris  
natu-

naturalis officiis aliquid adjicitur, iterum pro varietate objectorum variant. Vél enim versantur circa merces, sive importandas sive exportandas, earumque vestigalia & onera minuenda, vel alia quacunque ratione commercia felicior & facilius tractanda; & dicuntur *Fædera commerciorum*; qualia passim inter amicas gentes & quibus multum inter se est commercii vigere solent. Quanquam enim jus naturæ commercia ubique terrarum libere & sine singulari quadam pactione exercere permittit; attamen cum ab hac quoque humanitate multorum hominum malitia recesserit, id, quod naturæ jus permittit, singularibus conventionibus seu fœderibus restitui, vel saltem, modus illud exercendi determinari solet; (a) Vel versantur fœdera circa inimicitias atque injurias inter Principes & civitates belligerantes tollendas, captas urbes & provincias reddendas, & captivos restituendos, cuiusmodi sunt frequentissima illa *Fædera pacis* seu pacificationes; Vel occupantur circa arma, belli sive inferendi, sive propulsandi ergo, socianda, & vocantur *Fædera bellica*, eaque vel *Defensiva*, si spectent ad res suas ab injusta vi atque invasione tutas præstandum; vel *Offensiva*, si pro scopo habeant res aut regiones vi sibi eruptas, aut injusta ratione detentas, socia armataque manu recuperandum.

(a) Vid. *Guil. Camdenus*, in vita Elisabethæ ad annum 1576, p. m. 28.

### S. XV.

Denique Fœdera sese extendunt ad res quascunque alias v. g. ut ne in confinio alterius alter arcis munitas vel portus habeat. Quia conditione munitissima illa urbs, Pinarolium, in confinio Galliæ & Sabaudiæ sita, ex tenore fœderis Regem Galliæ inter & Ducem Sabaudiæ 1696, initi, restituta est, ut munimentis solo æquatis, nullo unquam tempore, Ducibus Sabaudiæ arcem munitam ibidem habere integrum sit; ad eundem ferre modum quo nostra memoria urbem Wismarium munimentis

C

mentis

mentis funditus antea disjectis eadem lege Svecis redditam esse,  
nemo ignorat. Porro, ne subditos aut hostes alterius alter tuea-  
tur aut defendat: Quæ certè præcipua conditio est Fœderis il-  
lius Triplicis Hagæ Comitum d. 4. Jan. 1717. inter Reges Galliæ & Angliæ, nec non Ordines Hollandiæ conclusi. (a) Vi cu-  
jus Pseudo-Principi Walliæ, seu Equiti S. Georgii una cum asse-  
clis suis & rebellibus Angliæ subditis, neque in Gallia, neque in  
Belgio tutus commorandi locus est. Denique, ne fœderis socius  
iter alterius hosti præbeat: Cujus rei recentissimum exemplum  
habemus in Fœdere illo Neutralitatis, ut vocabant, quod vicen-  
tio abhinc Potentissimo Augustissimo Regi nostro cum aliis  
Principibus bello Septentrionali implicitis intercedebat, pro  
conservanda pace & tranquillitate in oris his Pomeraniæ & ma-  
ris Baltici. Quo inter alia cautum erat, ne Svecorum copiis  
per Provincias Brandenburgicas sive in Poloniā sive Saxo-  
niā; neque vicissim, Polonicis, & Saxoniciis aliisque Fœdera-  
torum copiis in Pomeraniā reliquasque t. t. Germanicas Sve-  
corum provincias iter & aditus pateat. (b)

(a) Vid. Instrum. Fœderis illius Triplicis Artic. 1. 2. & 3. in Fama Europ., Part.  
201. p. 769. (b) Conf. Descript. Causarum Sequestri in anteriori Pome-  
rania ap. Io. Petr. de Ludwig in Opuscul. p. 202. sqq.

### §. XVI.

Ratione Formæ à Grotio aliquis Politicis Fœdera di-  
viduntur in *Aequalia* & *Inaequalia*. Utriusque generis iterum  
dispescuntur in ea, quæ aut pacis aut societatis causa fiunt: Hæc  
denique vel ad commercia, vel ad belli communitatē vel ad  
quascunque res alias referunt. Quoniam autem de singulis  
hisce fœderum speciebus satis superque à nobis in præcenden-  
tibus paragraphis jam actum est, hic tantum in genere notasse  
sufficiat: *Fœdera aequalia esse*, quibus socii vel dignitate &  
conditione, vel viribus parens, se se mutuo ad paria præstanda  
obligant. Quale fuit *Fœdus* illud *Blæsense*, quod Rex Galliæ  
Caro-

Carolus IX, ab Hispanis & Protestantibus Galliæ seu Hugonotis, quos vocabant, sibi metuens, cum Elisabetha Angliæ Regina, intestina itidem mala atque insidias, ob communitatem belli defensivi Albani Dicis metuente, anno 1572, firmarunt & cūjus summam Guil. Cambdenus refert. (a)

(a) *Guil. Cambdenus in Annalib. Rerum Anglic. regnante Elisabetha ad Annum 1572. p. 245. seqq.*

### S. XVII.

Hinc ex opposito facile intelligere licet quānam sint Fœderæ Inæqualia, nimirum quando vel partes pacientes dignitate, conditione & viribus sunt disparés, vel alterutra pars in his, quæ sibi invicem promittunt, aut vi fœderis præstare tenentur, deterioris est conditionis: Id quod duplī modo fieri posse docet Pufendorfius: (a) Si scil. Fœderatus dignior & potentior auxilia promittit alteri ita, ut nihil contra stipuletur; vel majora, quam alter, vel huic minus proportionata auxilia promittit. Quale fuit Fœdus inter Regem Sveciæ Carolum XII. & Ducem Holſatiæ Fridericum IV. cuius beneficio Rex Sveciæ omnibus regni sui viribus oblatis & reipsa adhibitis terras & jura Ducis Holſatiæ adversus infesta Danorum molimina defendenda receperat, eoque successu defendit, ut Dux Holſatiæ per pacem Traventhalensem d. 18. Aug. 1700, conclusam æquissimas à Rege Daniæ fœderis conditions impetraret. An hoc etiam referendum sit fœdus, quod Porta Ottomannica cum dicto Rege Sveciæ Carolo XII. post fatalem illam ad Pultavam cladem adversus Russiæ Imperatorem, ad opitulandum afflictissimus Principis rebus, jacenteque illius fortunam erigendam, alii judicent, quibus arcanae hujus fœderis, illudque fecutæ in Moscovitas expeditionis rationes, magis perspectæ sunt; id certum est eventum hujus expeditionis nec voto ipsius cæteroquin Optimi Regis, nec expectationi eorum, qui Regi bene cupiebant, respondisse.

(a) Lib. VIII. c. 9. §. 4.

C 2

### S. XVIII.

## §. XVIII.

Altero casu, ubi Foederatus Inferior ex pacto plura præstare tenerit, quam à socio foederis digniore & potentiore recipit, Foedera ejusmodi, quæ propterea etiam onerosa nuncupantur, iterum in duplice esse solent differentia. Alia enim sunt *sine imminutione Imperii*; alia vero *cum imminutione Imperii* sunt conjuncta. Illa parti inferiori atque deteriori imponunt *onera* vel *transitoria*, v. g. de solvendo militibus stipendio, de munib[us] vel munimentatis urbium diruendis, navibus tradendis, integris Provinciis ac Regionibus cedendis &c. vel *manentia*, ut sunt de annuo tributo solvendo, Principe vel Republ. comiter habenda, seque in illius clientelam & quasi turelam seu patrocinium profitendo. (a) Istius exempla ex recentiori & recentissima Historia habemus in maximis illis Galliæ Regibus Francisco I. & Ludovico XIV. quorum ille durissimis conditionibus pacis Madritensis d. 14. Febr. anno 1526. subscribere coactus est? (b) Hic vero, per tabulas seu Leges pacis Ultrajectinæ d. 11. April anno 1713. cum Angliæ Regina constitutæ; nec non in foedere Triplici Defensivo d. 4. Ian. anno 1717. cum Anglis & Batavis inito, citra imminutionem imperii recepit: Se munimenta urbis & portus Dunquerani non solum funditus destructurum nec unquam redificaturum; sed nec Mardyckum, aut alium quemcunque locum magis opportunum maritimæ istius oræ ad duo circiter millaria denuo excitaturum.

(a) Vid. Bodinus de Republ. Lib. V. c. 6. p. 90<sup>5</sup>. (c) Foederis hujus præcipua Capita refert Franc. Guicciardinus Histor. sui temporis Lib. XVI. p. m. 60<sup>3</sup> seq.

## §. XIX.

E contrario Foederis valde inæqualis & cum insigni imminutione, vel potius translatione totius imperii, conjuncti tristia

tristia documenta præbent, memorabilia illa pacis foedera, quorum alterum inter *Ludovicum Bavaram & Fridericum Puerum* Archi-Ducem Austriae Ulmæ, Mens. Octobr. anno 1325. jurejurando confirmatum; (a) Alterum vero nostra memoria in pago Altranstadio prope Lipsiam inter Regem Suecæ aliquoties jam laudatum *Carolum XII.* ac Reges Poloniæ *Fridericum Augustum* glor. mem. & *Stanislauum* d. 24. Sept. 1706. conclusum; (b) Vi quorum Fridericus Austriacus, inter alias durissimas foederis leges imperatoria Dignitate se abdicare coactus est. Rex Fridericus Augustus autem Regno Poloniæ quidem cessit, itidemque omni juri & prætensioni in Poloniæ renuntiavit; sed triennio post à Senatoribus Regni revo- catus, pristinam dignitatem jure quasi postliminii recepit, ea- demque ad ultimum usque vitæ halitum, quem die 1. Febr. præsentis anni Varsaviæ in ipsis Regni comitiis emisit, multa cum gloria defunctus est. *Grotius* (c) ex antiquiori Historia exempli loco adducit foedus illud Romanorum cum Cartha- ginensibus finito bello Punico secundo, in quo teste *Livio*, (d) summam hujus foederis referente, caustum erat: Ut Cartha- ginenses non perfugas modo fugitivosque & captivos omnes redderent Romanis, naves rostratas traderent elephantosque quos haberent domitos, neque domarent alios; sed & ne bel- lum sive in Africa sive extra Africam injussu populi Romani ge- rerent.

(a) Vid. *Nic. Burgundius* Hist. Bavariae Lib. II. p. 91. *Gerard de Roo.* in Annal. Austriac. Lib. III. p. 86. aliisque Scriptores à Clariss. *Scriblio* adducti in Syntagm. Histor. Germ. Dissert. XXVI. §. 12. innot. p. 843. seq. (b) Vid Instrument. Pacis Altranstadiens. Artic. III. Lips. impressum 1706. (c) *Grot.* I. c. L. II. c. 15. §. 6. n. 2. (d) *Livius* Lib. XXX. c. 37.

### §. XX.

Porro Foedera ratione formæ sunt vel *nuda*, sive Sim- plicia, vel *jurejurando confirmata*, vel aliis firmamentorum ge- neri-

neribus, utpote per Pignora, Obsides & Sponsores seu Fidejussores roborata. Illa simplici & nudo promisso & mutua stipulatione constant, citra ullius five rei five personæ, quæ firmandis foederibus adhiberi solent, interventum. Hæc vero majoris certitudinis & securitatis ergo jurisjurandi religione vel quoconque alio fidei pignore firmari solent. Quanquam enim juramenta par se nullam in pactis novam & peculiarem producant obligationem, sed vinculum tantum sint accessorum obligationis in se jam validæ, (a) solent tamen haud raro, ubi alterius partis fides suspecta est, majoris religionis & solennitatis causa, foederibus etiam juramenta superaddi. Qualia in sacris literis fuere foedera illa inter Jacobum Patriarcham sacerumque Labanum, (b) nec non Josuæ cum Gibeonitis. (e) Ex profanæ autem Historiæ monumentis huc pertinent foedera illa partim Atheniensium & Lacedmoæniorum; partim Ludovici Bavari & Friderici Austriaci, quorum in superioribus (d) mentio injecta est.

(a) Vid. Pufendorf, Lib. IV. c. 2. §. 6. (b) Genes. XXXI, §4. (c) Jof. IX, §.  
(d) Vid. supr. §. XII, & XIX.

### . XXI.

Quemadmodum autem ejusmodi foedera jurata, neque jure naturali neque positivo Divino sunt interdicta aut improbanda; ita ē contrario insignem non modo superstitionem redolent, seu sacrorum etiæ mysteriorum profanationem sapit ritus ille, quem nonnulli principes in pangendis foederibus adhibuisse leguntur, dum consecratam in actu cœnæ Dominicæ hostiam inter se dividentes fidem sibi invicem stipulati sunt: Ita enim de Pontifice Romano Paschale II. referunt *Sigebertus Gemblacensis & Jo. Cuspinianus*, (a) quod post factam cum Henrico V. reconciliationem, initumque Romæ anno 1111. foedus, quo Juri suo, quod sibi vindicaverant Papæ, de investiendis

endis Germaniæ Episcopis, renunciaverat Pontifex, in celebrazione Missæ particulam consecratæ hostiæ Imperatori Henrico V. his tradiderit verbis: *Hoc corpus Domini, natum ex Maria virginе, passum in cruce pro nobis, sicut Sancta & Apostolica tenet ecclesia, damus tibi in confirmationem veræ pacis inter me & te.* Qui tamen, eodem Cypriano teste non multo post in Conciliabulo ad Lateranum habito, omnia sua Cæsari data & sacramenti religione insuper confirmata promissa revocavit, egregio, scilicet, fidei Pontificalis specimine. Paria ferme narrat Mich. Piccartus (b) de Fœdere Cameracensi d. X. Decembr. Anno 1508; inter Julianum II. Pont Rom. Maximilianum I. Imperatorem & Ludovicum XII. Regem Galliæ adversus Rempubl. Venetam concluso. Cui confirmando Pontifex itidem sacram hostiam in tres partes divisam dictis federis hujus socii communicasse dicitur, additis his verbis parum Christianis: *Ut SS. Trinitas unus sit Deus ita duraturam inter Confederatos tres Unionem.* Ceterum, ne quid dissimulasse videamur, Picartus non addidit cuius fide hæc referat, neque hujus circumstantiæ meminerunt alii, qui Historiam istius Fœderis tradiderunt; (c) ut adeo ex hac aliisque rationibus haud immerito alicui suspecta esse possit narratio; in primis, cum aliunde constet, nec Pontificem nec ipsos Principes Cameraci fuisse praesentes, sed negotium illud fœderis per Legatos Imperatoris, Regis Galliæ & Ferdinandi Catholici Regis Hispaniæ esse confectum & jurejurando confirmatum; Julianum Pontificem autem, post diuturnam deliberationem tandem eidem accessisse & subscriptissime. Qui tamen, ne majorum suorum seu in folio Pontificiali antecessorum morem migrasse videretur, primus ab eodem deinceps resiliuit.

(c) Sigerbertus Gemblacensis in Chronographia, ad annum mii. ubi simul formulas juramentorum refert, quibus se invicem Imperator & Pontifex obstrinxerunt. Cyprianius in Histor. Imper. p. m. 474. (b) Mich. Pic-

*cartus Observ. Historico Polit. Decad. V. c. 9. p. 261. sq.* (c) Conf. omnino de hoc fædere Clar. *Dn. Strübii l. c. Dissert. XXX. §. 29. p. 117.* & qui integrum hujus fœderis historiam continet libellum, quicunque sub titulo: *Histoire de la Ligue faite à Cambrai*, editus prostat à la Haye. 1720, 12.

## §. XXII.

Dantur tamen & præter jusjurandum alia adhuc fœderibus securitatem & certitudinem conciliandi media, nimirum per *Pignora publica, Obsides, & Sponsores* seu *Fidejussores*. Fit enim quandoque, ut servanda fidei causa alterutra pars ab altera, cuius fidem suspectam habet, ejusmodi firmamenta stipuletur, quibus sibi de securitate fœderum satis cautum atque prospectum existimat. Suntque vel res, vel personæ. *Rebus annumerantur pignora*, sive ea sint mobilia, sive immobilia seu hypothecæ. Iстius generis sunt arma, naves, equi, elephanti, aliqua omnia, quæ fovendo vel resovendo bello in servire possunt & nonnunquam post pacem sanctam inter conditiones fœderis ab iis peti solet, quibus non usque adeo tuta fides est; ceu patet ex fœdere Romanorum cum Carthaginensibus, de quo modo supra (a) diximus. Inauditum tamen fidei pignus fuit, *Hostia ritu ecclesiastico consecrata*, quam Uladislaus Poloniæ & Hungariæ Rex decennali induciarum fœderi, cum Amurathe II. Turcarum Imperatore anno 1443. pacto, addidisse *Io. Leunclavius*, (b) aliorum tamen fide, sequentem in modum refert: *Poscente Amurathe certum aliquid à Uladislao Rege pacis inviolabiliter observandæ documentum, profano quorundam consilio traditam ei fuisse hostiam ecclesiastico ritu consecratam*: quanquam ali diversas hujus fœderis circumstantias referant, in primis *Ant. Bonfnius*, (c) qui Turcas juramentum à Uladislao in Evcharistiam præstandum postulasce scribit, Gregorio autem Savoreo adversante, tandem utrinque conventum esse, ut Christiani mediante Evangelio, Turcae vero per Alcoranum jurejurando se obstringerent, inviolabiles fore pacis inter se

se initæ conditiones. Paria ferme de Ludovico IX. cognomine Sancto, Galliarum Rege narrat Jo. Serranus, (d) quod infelici successu expeditione in terram sanctam suscepta, à Saracenis captus, pro debito quater mille librarum auri, redemptionis siue causa solvendarum, pignoris loco hostiam consecratam cum Ciborio in hostium potestate reliquisset.

(a) §. XVIII. (b) Leunclias in Pandect Turcic. fol. 327. (c) Bonfinius Rer. Hungaric. Dec. III. Lib. VI. p. 557. sq. (d) Serranus Inventar. Hist. Franc. in vita Ludovici IX. fol. 139.

### §. XXIII.

Ad firmamenta fidei in foederibus datæ referuntur etiam Pignora rerum immobilium, seu Hypothecæ, utpote Castella & Urbes munitæ, quales fuere quatuor illæ civitates, quas teste Thuanio Protestantes Galli, in bello civili pro Religione & conscientiarum libertate gesto, beneficio pacis in Fano S. Germani 1570. conclusæ, à Carolo IX. Galliæ Rege, securitatis causa impetrarunt, nimirum Rupella, Montalbanum, Cognacum, & Charitaum, ea tamen lege, ut Navarrus & Condæus & XX. ex Proceribus se post biennium easdem restituturos jurejurando interposico promitterent; Ad eundem modum à Caroli IX. successore, Henrico III sive Valesio, anno 1575. post inducias semestres, Protestantibus & Catholicis foederatis, ut urbes securitatis causa sunt attributæ, eodem Thuano (a) teste; Quibus Beermannus (b) ex Corbardi Arthusi Mercurio Gallo Belgico adhuc alias VIII. Urbes addit, quas idem Henricus dictis foederatis Reformato-Catholicis, velut fidei munimenta tradidit; quæ dein ceps à Gallis Idiomate vernaculo, Villes d' Ostage, Urbes Fidei seu Obstagii sunt appellatae.

(a) Thuanus ad Annum 1570. Lib. 47<sup>o</sup> p. m. 432. & ad Annum 1575. Lib. LXI. p. m. 278. Edit. Parif. (b) Beermannus Diss. de Pignorib. Rerump. §. 5.

### §. XXIV.

Quod vero ad morem illum attinet Fædera per Obsides

D firman-

firmandi, (qui *Livio* (a) pariter & *Silio Italico* etiam *pignora pacis* appellantur) apud omnes ferme gentes eundem in usu fuisse infinita, cum antiquioris, tum recentioris Historiæ, monumenta & exempla loquuntur. (aa) Ex quibus constat, molesto huic & haud raro cum vita ipsius periculo conjuncto muneri pro Republica obeundo cujuscunque ordininis, ætatis & sexus, imprimis vero eminentioris in Republ. dignitatis & laetioris fortunæ homines, aliquando & ipsos Regum ac Principum liberos, adhibitos esse. Ita in fœdere Romanorum cum Samnitibus à T. Veturio & Sp. Postumio ad Furcas Caudinas iacto DC. equites sunt imperati, qui capite luerent si pacto non staretur, referente *Livio* modo laudato. (b) Neque fœminas etiam ab odiosa hac obligatione immunes fuisse, patet exemplo virginum, quas Romani Porfenaæ Hetruscorum Regi obsides dederunt, quarum Heroica virtute maxime memorabilis est Cloelia, & *Livio* (c) & *Silio Italico* (b) imprimis his celebrata verbis:

*Bis Cloelia senos*

*Nondum compleras primævi corporis annos  
Una puerarum Laurentum, & pignora pacis  
Inter virgineas Regi transmissa carervas,  
Facta Virum fileo. Rege hæc & fædere & annis  
Et fluvio spretis, mirantem interrita Tibrim  
Tranavit, frangens undam puerilibus ulnis.  
Cui si mutasset sexum natura, reverti  
Forsitan Tyrrhenas tibi non licuisset, in oras  
Porfena.*

An vero Cleonymus Spartanus primus inter mortales hujus moris, fœminas tradendi obsides, inventor fuerit, ceu *Arbenæ* (e) videtur, vix probabile est; sed *Lipso* (f) judice rectius fortasse dixisset, primus Græcorum. Cur autem Augustus teste *Svetonio* (g) qui fœminas novum (seu potius ea ætate apud Par-

Parthos inusitatum ) obsidum genus dixit, sexus fœminei ob-  
sides imperaverit, illius rationem mox subjungit, nimirum;  
quia senserit marium pignora negligi. Unde & Tacitus :  
h) *Longe efficacius, inquit, obligantur animi civitatum, quibus in-*  
*ter obsides puellæ quoque nobiles imperantur.* Quo enim chario-  
ra, eo & certiora ejusmodi fidei sunt pignora. Hinc Phraates,  
Parthorum Rex firmandæ amicitiae causa partem prolis ad  
Augustum Romanam misisse *Tacito i)* narratur : *Justinus k)*  
vero & *Strabo l)* non modo quatuor legitimos filios, sed eo-  
rundem etiam uxores & liberos suosque adeo nepotes Augusto  
obsides dedisse affirmant. Ad eundem modum per leges me-  
morabilis illius fœderis, Mantuae Carpentanorum ao. 1526. in-  
ter Carolum V. Imp. & Franciscum I. Galliæ Regem iicti, Fran-  
cisco præter Filium suum natu Maximum, seu Delphinum quem  
vocant, & Aurelianensium Ducem, secundo quoque geni-  
tus, aut illius loco XII. Galliæ principes Viri obsides sunt imperati;  
quo etiam *Thuanus m)* digitum intendere videtur, ubi Im-  
peratorem, acceptis obsidibus Francisci liberis, captivum Re-  
gem, conditionibus Madritiano fœdere expressis, custodia libe-  
ratum, in Galliam redire permisissè, scribit.

- (a) *Lipsius* II. 13. *Sil. Italicus* loco mox cit. (aa) *Conf. omnino Iac. le Bleu,*  
JCr. Acad. Gießenf. Dissert. de Obsidibus ac in eos Jure, Gieß 1663.
- (b) *Liv.* IX. 5. (c) *Liv.* II. 13. (d) *Sil. Italicus* Lib. X. 493. (e) *Athenaeus*  
Deipnosi. L. XIII. c. 28. (f) *Lipsius* in not. ad *Tac.* de Mor. Germ. c. 8.
- (g) *Suetonius* in vita Augusti c. 21. (h) *Tacitus* I. c. c. 8. (i) Idem An-  
nal. II. 1. (k) *Justinus* L. XLII. c. 5. (l) *Strabo* Lib. XVI. (m) *Thuanus*  
ad ann. 1526. Lib. I. p. m. 39.

### S. XXV.

Maxime frequens autem, saltem hodie inter Principes Eu-  
ropæ fœdera firmandi, eorumque securitati prospiciendi, mo-  
dus est, qui fit per Sponsores seu *Fidejussores* fœderum, stilo Po-  
litico *Guarandos*, vel usitato Gallis nomine *Guarandeurs*, dictos.  
Hi, quoniam haud raro in Fœderibus, præcipue pacis, sancien-  
dis,

dis, ex partium consensu, sive Arbitros, sive Mediatores & conciliatores agunt, fidem atque auctoritatem suam interponere solent, fore ut Conventa pactaque utrinque in violata serventur. Cui velut Fidejussioni tacitum simul & implicitum, quandoque etiam expressum, inest fœdus, circa auxillum adversus injuriæ auctorem ferendum illi, qui contra datam in fœdere fidem ab alteraparte offendam patiatur. Quod quidem plurimis Fœderum Instrumentis publicis probari possit, ex quibus tamen hac vice Novissima præsentis Sæculi Fœderum, Altranstadiensis nimirum & Passaravicensis, Instrumenta allegasse sufficiat: Illius enim, puta *Altranstadiensis* Fœderis, inter Regem Sueciæ Carolum Duodecimum, Regesque Poloniæ Fridericum Augustum & Stanislauum, anno 1706. percussi Instrumento, notabilis ille Articulus XXI. insertus legitur: *Quæ hoc Tractatu ita constituta, promissa ac transacta sunt, non tantum Serenissimi Reges ac Principes pacifcentes inviolabiliter ac sancte pro se quisque observabunt bona que fide & ex aede implebunt, in omnibus clausulis & fœderis hujus Articulis: sed etiam, ut hæc pax eo firmior ac stabilior sit, in se recipit Serenissimus Rex & Elector Saxoniae, quod earum Conventionum, que hoc Tractatu continentur, fidejussionem à Serenissimo ac Potentissimo Imperatore Romano, a Serenissima ac Potentissima Regina Magnæ Britanniæ, ut & Celsis ac Præpotentibus Ordinibus Generalibus Fœderati Belgii, expetere velit & intra semestre spatum, à die subscriptionis numerandum, justa ac solenni formula conscriptam extradere. Sacrae Reg. Maj. Suecia quoque licebit, ultra memoratas Potestates plures hujus Tractatus Fidejussores, si placuerit suscipere & adsciscere.* Instrumento autem Pacis Passaravicensis, sub directione ex mediatione Serenissimi Regis M. Britanniæ ex Præpotentium Fœderati Belgii Ordinum 1718. Romanum inter & Turicum Imperatorem conclusæ, sequentem additam legimus clausulam: Nos ROBERTUS SUTTON, Eques.

44-

*Auratas ex parte Sereniss. Dn. Georgii, Magnæ Britanniaæ Regis, & Jacobus Comes Colyer, ex parte Alte-Potentium Dnn. Fœderati Belgii Ordinum Generalium, Legati Mediatores; Hæc præmissa coram nobis, & sub direktione Mediatisationis nostræ ita acta, conclusa & firmata esse, vigore publici Muneris nostri, pariter subscriptione & sigillorum nostrorum appositione attestamur & firmamus.* R. Sutton. J. C. Colyer.

## §. XXVI.

Præter hactenus recensitos fœdera sanciendi firmandi que modos, peculiares quosdam ritus ac cærimonias, nonnullas gentes ac populos adhibuisse, suisque fœderibus hac ratione certam formam addidisse relatum legimus, ex quibus potiores h. l. commemorasse juvabit. Ita de Gallis memorat *Cæsar* (a) quod collatis militaribus signis jurejurando fidem fauixerint, seque invicem fœdere adversus Romanos ad excutiendum duræ servitutis jugum, obstrinxerint. Quibus autem cærimonii ac solennitatibus Romani aliique antiquiores Italiae populi fœdera inter se & cum exteris junxerint, ex parte jam *supra* (b) auctore *Livio* ostendimus, luculentissime omnium vero patet ex fœdere illo, quod *Aeneas* cum Rege Latino in dubium illum decretori cum Turno ingrediendi certaminis eventum pepigisse refert, ac more suo, h. e. gravissimis numerosissimisque verbis sequentem in modum deferbit, Princeps Poëtarum Romanorum *Virgilius*: (c)

*Inter ea Reges  
Procedunt castris, puraque in ueste sacerdos  
Serigeri fatum suis intonsamque bidentem  
Attulit, admovitque pecus flagrantibus aris.  
Illi ad surgentem conversi lumina solem  
Dant fruges manibus saltas, & tempora ferro  
Summa porant pecudum, paterisque altaria libant.*

D 3

Tum

Tum pius Æneas, STRICTO sic ENSE precatur:

Esto nunc Sol testis & hæc mibi terra vocanti &c.

Sic Prior Æneas? sequitur sic deinde Latinus,

Suspiciens cælum tenditque ad sidera dextram:

Hæc eadem, Ænea, terram, mare, sidera juro &c.

Audiat hæc genitor, qui fædera fulmine sancit;

Tango aras, mediosque ignes, & Numina testor.

Nulla dies pacem hanc Italos nec fædera rumpet,

Quo res cunque cadent. &c.

Talibus inter se firmabant fædera dictis,

Conspictu in medio Procerum. Cum rite sacratas

In flammam jugulans pecudes & viscera vivis

Eripunt, cumulantque oneratis lancibus aras.

(a) J. Cæsar de Bell Gall. L. VII. c. 2. (b) Vid. Supr. §. V. (c) Æneid.  
Lib. XII, v. 161. sqq.

### §. XXVII.

Prorsus etiam singularem Barbarorum fædera pangendi firmandique ritum ac morem narrat Tacitus (a) hiis verbis: *Mos est Regibus, quoties in societatem coeant, implicare dextras, pollicesque inter se vincire, nodoque præstringere: Mox ubi sanguis in artus extremos se effuderit, levi istu cruentem eliciunt, atque invicem lambunt: Id fædus arcanum habetur, quasi mutuo cruento sacramatum.* Idem de de Scythis testatur Pomponius Mela (b) *Ne fædera quidem, inquit incruenta sunt. Sauciant se qui pacisuntur exentumque sanguinem, ubi permiscuere, degustant.* Neque tamen in fœderibus solum publicis. sed privatis etiam amicitiam contrahendi modis, eundem Scythes ritum adhibuisse, testis est Lucianus (c) in Toxari, sive de Amicitia, sequentem in modum scribens: *Αφ' ου γαρ εντεμόντες ἄπαξ τὸς διαιτήσεως, ἐνταλάζω μεν τὸ ἄμφοτε εἰς πόλην, καὶ τὰ ξίφη ἀκρα βάψαντες, ἀμαρτιφότεροι ἐπισχέμενοι, οὐκ ἔσιν δὲ τι μετὰ τοῦ ἡμᾶς διαλύσειν ἔν.* Ex quo semel incisis

*ſis digitis sanguinem in calicem deſtillaverimus; ſummiſque intin-  
dit gladii, ambo pariter admoventes biberimus, non eſt quicquam  
quod deinde queat nos dirimere.* Eundem tamen morem, per cru-  
entam portionem foedera faciendi, Armeniis quoque in uſu, nec  
ipſis Romanis ignotum fuſſe, pluribus Scriptorum testimonijſ  
comprobant *Lipſius*: (d) quibus autem, ut & aliis foedera fanciendi  
firmandique modis, recenſendis, ne juſto longiores (e) ſimus, in  
præſenti merito ſuperfedemus.

(a) Tacitus Annal. L. XII. c. 47. (b) Mela L. I. c. 2. (c) Lucianus Opp. Tom.  
II. p. 84. (d) Lipſius in Notis ad hunc Taciti locum. (e) Chriſtoph. Be-  
ſoldi Diſſert. Politico-Juridic. de Foederum Jure Cap. VI. p. 72. ſeqq.

### §. XXVIII.

Ad institutum potius, à quo materiæ huic illuſtranda ne-  
ceſſitas nos paulisper abſtraxit, ut revertamur, alia adhuc Fœ-  
derum ratione Formæ diſiſio, commemoranda & explicanda  
nobis reſtat; niſirum qua diſiuntur in *Definita* & *indefinita*.  
Illa vocant, quæ certis ac determinatis conditionibus ſunt cir-  
cumſcripta; haec vero, quæ generalioribus tantum verbis ſunt  
concepta. Indefinitis tamen perperam annumerare videtur  
*Jo. Nic. Hertius* (a) foedus illud, quod Rex Galliæ Henricus II. cum  
Papa Paulo IV. & Duce Ferrarensi Hercule II. iniit, cuius me-  
minit *Thuanus*: (b) Nam eti hujus foedera Instrumento gene-  
ralia haec verba iſerfa legantur: *Ut Dux amicos Regis pro ami-  
cis, hostes pro hostibus habere teneatur*; multas tamen præterea  
alias easque definitas & determinatas continent foedera conditiones, v. g. ut regio militi tranſitum præbeat Dux Ferrarensis per  
ſuæ diſtioniſ loca & commeatu juvet; contra, hosti tranſitum  
neget, nec commeatum præbeat & multo plures, quas longa ſe-  
rie recenſet Thuanus; ex quibus patet ad foedera Definita poti-  
us, quam Indefinita illud eſſe referendum.

a) Her.

---

(a) *Hertius* in Element. Prud. Civil. P.I. Sect. 8 §. 7. (b) *Tbuanus* ad Ann. 1555. Libr. XVI. p. m. 632. seqq.

### §. XXIX.

Rectius forte *Indefinita* dixeris, quæ nullo, vel saltem minus determinato durationis termino circumscribuntur. Sunt enim nonnulla fœdera, quæ formam habent à circumstantia temporis & pro ratione durationis in *perpetua* & *temporaria* dividis solent. Illa plerumque in fronte gerunt solennem &, si diis placet, salutarem hanc formulam: *Sit Pax universalis, perpetua & nunquam revocanda, veraque & sincera amicitia; sit utrinque perpetua oblio & amnestia &c.* Quæ tamen *Perpetuitas* ut plurimum angustissimo durationis circulo continetur, & paucorum annorum decursu absolvitur, quotidiana, sed eheu tristi, illud experientia comprobante. *Temporaria* autem disertis verbis expressum & definitum tempus habent & ad certam annorum periodum alligata vel à determinato annorum numero suspensa sunt;

(b) Intra quod temporis spatium nullus hostilibus armis lassioni locus est vel saltem esse debet. Unde & Fœdera ejusmodi novo, sed Politicis usitato, vocabulo *Armistitia* vocantur; &, si paucarum tantum horarum, dierum, aut mensium spatio circumscribuntur, *Induciarum* nomine veniunt: Quas *Varroni* apud *Gellium* (c) pacem *Castrensem* paucorum dierum, nec non *belli ferias* appellare placuit; Quanquam, si dicendum quod res est, induciarum nomen ex usu probatorum auctorum, in primis *Livii* (d) ad multorum quoque & vel centum annorum fœdera de nominanda adhibeatur.

(a) Vid. Instrumenta Pacis Westphalicae, Neomagenis, Ryswicensis, Olivensis &c. (b) Cujus generis fœderum exempla, passim occurunt apud Livium. (c) *Gellius* Noct. Atticar. Libr. I. cap. XXV. (d) *Livius* Libr. VII. 20.

### §. XXX.

## §. XXX.

Omnia igitur hactenus recensita fœderum genera, si modo circa rem per se honestam & licitam sunt pacta, sive ea sint simplicia & nuda, sive jurisjurandi religione, aut alio quocunque stabilimenti genere munita, roborata & confirmata, effectum illum habent juris naturalis, ut partes inter se contrahentes, ad servanda ea, quæ sibi invicem stipulatae sunt, obligent, nec una alterave sine per fidia nota ab iisdem resilire possit. Notanter dicimus, *circa rem per se honestam & licitam*. Fœdera enim æque ac pacta de rebus sua natura turpibus & Jure sive naturali sive positivo divino illicitis, tantum abest, ut vim aliquam obligandi habeant, ut potius tanquam moraliter impossibilia partem paciscentem & ad saniorem mentem redeuntem ultro ab omni obligatione absolvant: Oportet enim rem, quam mediante pacto promittimus, in nostra facultate & potestate esse; quippe ad impossibilia nulla datur obligatio: Habentur autem pro impossibilibus, quæ vires nostras non *physice* modo, sed & *moraliter* supergrediuntur, h. e. quæ per se turpia & inhonesta sunt. (a) Nec obstat, si vel maxime Fœdera ejusmodi etiam fuerint jurata. Quemadmodum enim juramenta, ut supra monuimus, per se nullam novam pactis superaddunt obligationem, sed vinculum tantum sunt accessorium; ita actus, cui vitium aliquod intrinsecum, obligationem producendam impediens, adhæret, non sit obligatorius, jurejurando licet accedente, (b) quin potius & hic tritum illud valet: *Quæ male ju-*  
*rantur, pejus servantur.*

(a) Conf. *Grotium* L. II. c. XI. §. 8. & *Pufendorffum* Lib. III. c. VII. §. 1. 2. 6.  
Lex XV. Dig. de Condit. Instit. (b) Vid. *Pufendorf*, Libr. IV. c. II.  
§. 6. & 9.

## CAPUT. II.

DE VIOLATIONE FOEDERUM  
IN SPECIE.

## SECT. I.

Sistens Causas &amp; Modos Violationis Foederum,

## §. I.

**P**ostquam igitur superiori Capite de Natura & Varietate Foederum satis superque à nobis actum est; ordinis & instituti ratio postulat, ut nunc quoque de Foederum Violatione, illiusque cum Fœditate tum Infelicitate, paulo curatius agamus. Ne vero in applicatione vocis impingamus, iterum solicite cavendum discipiendumque est, quid & quotuples hæc foederum sit Violatio. Est autem Violatio, si vim vocis pariter & rem ipsam spectemus, nihil aliud, quam violenta sive rei alicujus, sive personæ, sive juris alterius læsio. Quo sensu & ipsum primitivum, a quo verbale hoc descendit, Scriptores Latinos passim usurpare legimus. Hinc *Virgilius Maro* (a) aliquoties corpus vulnera violari dixit; & *Cicero*, *Tibullus* atque *Hyginus* (b) alii que de corrupta, vitiata seu vi compressa virgine, conjugata seu cognata illa vocabula Violare & Vialator adhibuere. *Ovidius* quoque ut & *Plinius* (c) adulterium, violata jura mariti, fideique conjugalis violationem dixerunt.

(a) *Virgilius Eneid.* Libr. XI. 277. 591. & 848. item Libr. XII. 797. (b) *Cicero* Epist. Famil. L. IX. 22. *Tibullus* Libr. I. Eleg. VI. 50. *Hyginus* Fabul. 100.(c) *Ovidius de Arte Amand.* II. 381. & *Plinius Hist.* Nat. X. c. 34.

## §. II.

In primis vero frequenter verbo violare utuntur Romanis scriptores, ubi de rebus sacris & ad religionem pertinentibus, vel etiam religiose intergentes & populos habitis sermo est.

Unde

Unde Numina, aræ, templa, aliaque loca religiosa & sacra per vim quandam læsa, vel alia quacunque ratione irreverenter habita, violari dicuntur. Ita *Justinus* (a) de Phocensibus scribit, quod ob spoliatum Apollinis templum sanguine & cædibus suis violatae religionis pœnas peperint; & *Livius* (b) avaritia Romanorum templa Locrensum violata & spoliata esse refert. Cum ergo fœdera, in primis publica, omni tempore rebus sanctæ, religiose & reverenter habendis fuerint annumerata, quippe quibus salus publica tot Regnorum, Rerum publicarum, Civitatum hominumque procuratur & continetur; hinc actus ille, quo Principes & Rerum publicarum moderatores, vel ex ambitione & regnandi dominandique libidine, vel ex habendi cupiditate & utilitatis rationibus, vel aliis quibuscumque frivilis de causis, sacrum illud vinculum, quod populos in pace & amicitia continet, per vim lœdunt atque rumpunt, merito *Violationis* nomine venit, cuius loco aliis Politicorum vocem *Ruptioris* vel *Contraventionis* adhibere placet. (c)

(a) *Justinus* Lib. VIII. 2. (b) *Livius* L. XXIX. 8. (c) Vid. *Buddei* Dissert. *Juris gentium de Contraventionibus Fœderum* Hæc 1701.

### §. III.

Interim *Livius* (a) qui quantum constat, pene unus & solus inter Latinos scriptores verbale illud & abstractum nomen *Violationis* usurpavit, utriusque concretum, ceu in Scholis loquimur, de fœdifrago Vegenium Rege Tolumnio adhibuit, ubi strenuum fortissimumq; inter Romanos equites militum tribunum, A. Corn. Cossium, loquentem ac trepidantibus Romanorum turmis animum his verbis addentem introducit: *Hiccine est Ruptor fœderis humani Violatorque gentium juris?* Scipio ille a devicta Africa cognomen fortitus, in gravissima illa apud Livium Oratione, qua de perfidia Carthaginensium conqueritur; *Deos fœderis ab hoste violati testes invocat.* *Lucretius* (c) quoque

E 2.

Poë-

Poëta, quando nefariis ejusmodi hominibus tristem perfidiam  
suae mercedem denunciat, sequentem in modum canit:

*Non facile est placidam ac pacatam degere vitam,  
Qui VIOLAT factis communia FOEDERA pacis.*

(a) *Livius* loco modo cit nec non Lib. IV. c. 19. (b) Idem Lib. XXVIII. 44.  
*Luretius de Rer. Nat. Lib. V.*

§. IV.

Quemadmodum autem non una violationis fœderum  
est causa, ita & complures nefandæ hujus artis modi ac rationes  
esse solent. Ad causas quod attinet, haud incongrue ad tot ferme  
genera revocari possunt, quot in divisione belli, saltim injusti,  
alias Politici constituerent: siquidem violationem fœderis  
ut plurimum belli sive occasionem & causam, sive finem & scopum  
fuisse, innumera omnis ævi docent exempla. Proinde  
causas violationis Fœderum, æque ac belli, alias dixeris *Justificas*  
alias *Satisfactorias*. Illas *Grotius*, (a) *Polybium* velut primum  
hujus divisionis auctorem, (b) secutus, Græco nomine προφέτες  
appellat, quia, ut ille ait, palam proferri solent, nimurum in  
clarigationibus & belli denunciationibus, quæ ex more inter  
gentes hodie recepto Scriptis, causas armorum manifestantibus,  
consignantur; partim ad demonstrandum universo mundo  
factorum & armorum justitiam, simul vero aliorum quoque  
Principum & gentium favorem aucupandum; partim ad  
populum & subditos eo alacriores reddendum, cum ad arma  
capienda, tum ad tributa solvenda, aliaque onera, quæ belli cau-  
sa imperantur promptius subeunda. Cum enim nemo tam  
malus sit, quin bonus audire cupiat; hinc principes ac populi  
fœderum violatores, varias easque haud raro admodum specio-  
sas comminisci solent rationes, quibus omnem mali seu perfidiæ  
suspicionem à se amoliantur, factisque suis colorem seu justi-  
rectique speciem inducant, omnemque violatæ fidei culpam in  
partem

partem adversam rejiciant atque devolvant. Cujusmodi cava-  
fas *Sveronius* (c) justo nomine Prætextum, *Livius* (d) autem  
Titulum vocat.

(a) Grotius. L. II. c. I. §. I. & cap. XXII. §. I. sqq. (b) *Polybius* enim Histor.  
Lib. III. p. m. 162. seq. *ἀρχὴν αὐτιὰν παρέστων*, multum inter-  
se distare, adeoque probe distinguere esse docet; simul & dupli exempli  
plo belli, partim Alexandri in Perias, partim Antiochi in Romanos, illustrat,  
ostenditque *αὐτιὰν παρέστων* h. e. causam atque prætextum bel-  
li *ἀρχὴν* i. e. initium seu principium ejusdem ordinarie præcedere.  
(c) *Svetonius* in vita Jul. Cæs. XXX. (d) *Livius*. L. XXXVII. c. 54.

## §. V.

*Causa* igitur *Justificæ*, quas utraque disceptantium pars  
ad colorandum facta sua proferre solet, quo speciosiores  
sunt, eo & difficilius est judicatu, penes quam culpa violatae fi-  
dei aut fœderis haereat; nisi quis forte ex eventu judicium fer-  
re malit, quod tamen æque dubium ac incertum est, cum op-  
timæ cauæ nonnunquam deterior respondeat eventus. Patet  
illud ex duobus maxime memorabilibus hujus & superioris  
Sæculi fœderum exemplis; nimirum ex Fœdere inter Reges  
Sveciæ Carolum Gustavum, & Daniæ Fridericum III. *Roschil-*  
*dæ* d. 26. Febr. 1658. nec non ex Fœdere eorundem Nepo-  
tum glorioſæ memoriaræ, Carolum XII. & Fridericum IV. *Tra-*  
*vendaliæ* d. 18. Aug. 1700. i. e. Quibus merito & tertium æque  
memorabile Fœdus *Altranſadiense*, inter dictum modo Regem  
Sueciæ Carolum XII. & Fridericum Augustum Regem Poloniæ  
& Electorem Saxoniæ d. 24. Sept. 1706. percussum addimus:  
In singulis enim horum Fœderum Instrumentis utraque paci-  
centium pars conceptissimis & nil nisi firmam, perpetuam &  
nunquam revocandam pacem, amicitiam, offensionumque  
præteritarum amnestiam & oblivionem spirantibus verbis, se  
invicem validissime obstrinxit; Et nihilominus patitis non di-  
cam annis, sed vix aliquot interjectis mensibus, fœdera haec

rupta sunt, & utrinque infastus ad arma factus est regressus.  
Neutri tamen parti defuere rationes, quibus violati fœderis in-  
vidiam à se removere inque alteram devolvere studuit.

## §. VI.

Quantum enim *Fœdus Roschildense*, utriusque Regis  
subscriptione approbatum ratumque habitum, attinet, ex Tabu-  
lis illius publicis constat, Sveciæ Regi Regnoque in primis tam  
gloriosum quam utile atque proficuum illud fuisse: Et nihil  
tamen minus post semestris spatium nondum elapsum, nempe  
sub initium mensis Augusti ejusdem anni, Rex Sveciæ Carolus  
Gustavus primus armis resumtis, novam expeditionem in Da-  
nos suscepit, ipsumque Regem Daniæ in regia Hafniensi obsi-  
dione cinctum tenuit usque ad sequentem annum 1659, quo ean-  
dem mense Februario, magna quidem vi & armorum appara-  
tu, sed irrito conatu, maximaque cum clade suorum oppugna-  
re aggressus est. Ut vero orbi constaret, citra culpam violati  
fœderis Roschildensis expeditionem hanc à Svecis denuo esse  
susceptam, peculiari eoque satis spissò & operoso scripto, S. R. M.  
Sveciæ nomine, licet paulo serius, publicato, id efficere & evin-  
cere conati sunt, quod, ceu Titulus præfert, *Expositionem cau-  
sarum continet, quibus S. R. M. Sveciæ bellum à Rege regnoque Da-  
niæ sibi illatum, etiam post pacem Roschildiae initam, continuare coæta  
fuerit.* (a) Cujus summa, prout expressa Præfationis verba so-  
nant, huic redit: *Vix opus fuisse armorum Svedicorum justitiam  
pluribus verbis ostendere, cum Dani, conditiones pacis neque adimplen-  
do, neque servando, jure meritoque iterum in se verterint gladium, quem  
contra quosvis aggressores temerarios magnis in his terris Potesta-  
tibus Supremum Numen est largitum:* E contrario Rex Daniæ, ipso  
Pufendorffio, (b) rerum Svecicarum candidissimo scriptore, haud  
diffidente, per legatos sub adventum exercitus ad Regem Sve-  
ciæ missos, sanctissime testatus est; *Bellum inter Sveciæ & Daniæ re-*

gna

gna exortum, non solum pace Roschildenſi compositum, abolita antea etorum memoria, sed & nonnullis scrupulis, super articulorum quorundam genuino ſenſu obortis, alios Hafniæ Tractatus ſuceptos, quibus priores difficultates remota omniaque ita transacta ſint, ut nil amplius deſiderari cederetur. Quæ cum ita ſint, Regem Daniæ non ſatis poſſe mirari, cum ē ſua parte omnia impleta ſint, quod ita repen- te, nulla denuntiatione facta, boſtili modo invadatur. Regerente vero ad hæc Svecorum Rege: Affarim caſarum ſibi fuiffe ad hoc bellum continuandum, per injurias ſibi à Dania illatas, quæ nunquam cefſet, quotidianis machinationibus Sveciæ exitium querere, id quod ſatis doceant literæ interceptæ, turbata commerciorum liber- tas in freto Oresundico, infinitæ tergiversationes & dilationes circa exēcutionem pacis Roschildenſis, ſic ut non magis ſecuritati ſuæ ad- versus Dаниam cautum ſit, quam ante bellum fuerit. &c. Hæc contra Regis Daniæ Legatos, repetitis verbis de innocentia Re- gis ſui teſtatos eſſe; Paſtis ſe per omnia ſatisfecife, non conſtare ſibi de literis, quæ interceptæ dicantur, quæ ut producantur petere. Supra vires suas eſſe poſtulatas à Rege naues ſuppeditare, aut one- roſo ſe fiedere illigare. Denuo igitur Commissarios rogarē, ut ſi quæ ſuperſint controverſiæ componantur, & flamma, quæ utrique regno noꝝa poſſit eſſe, ſopiatur, priuquam in maiorem flammam erumpat. Ad ultimum manantes uberrim lacrymas diſtis pondus addidife.

(a) Scriptum illud *elvovūw̄* ſine leci imprefcriptione aut typographi mentione editum proſtat. 1658. 4. (b) *Pufendorf*, de Reb. Gestis Caroli Gustavi Lib. V. §. 95. p. 475. ſqq.

### §. VII

Iisdem & multo pluribus magnam ſpeciem præ ſe fe- rentibus rationibus Dani innocentiam ſuam publicis etiam scri- ptis teſtati; ex oppoſito Svecos violatæ fidei ac federis reos accuſarunt, inter quæ præcipue numeranda veniunt: *Speci- lum fidei Daniæ & perfidiæ Sveciæ* 1659. 4. *Dissertatio Juridico Poli-*

Politica de Legato Svecico durante obfidence à Rege Daniæ detento.  
1659. 12. Tela Svecici aranei disrupta. 1660. 4. Quorum aucto-  
rem Gundeum Rosencranzium, Senatorem Regni Daniæ fuisse, per-  
hibet Christianus Gryphius. (a) Ecquis vero in tanta rationum,  
ab utraque parte non sine magna justi rectique specie allatarum,  
ambiguitate, arbitrum & judicem agere, vel certo definire susti-  
neat, utri culpa violatae fidei sit tribuenda? Cum interim, quod  
eventus docuit, negandum non sit, Sveciam hac nova expedi-  
tione nonsolum multorum Europæ Principum ac Statuum odia  
sibi conciliaffe, & ex eo tempore in Fonia, Pomerania, Cur-  
landia & Prusia, adverso utplurimum Marte pugnasse; sed in  
pace etiam Hafniensi, post obitum Regis sui ( qui interjecto  
anno, eodem fatali die, quo in oppugnatione Hafniæ insignem  
ac prorsus funestam contraxerat cladem, h. a. 12. Febr. 1660,  
contigit) conclusa, haud pauca, ex tenore pactorum pacis Ro-  
schilden sis jam acquisita, iterum perdidisse.

(a) Gryphius in Apparatus Script. Histor. Sacculi XVII. c. XI. §. 4. p. 541.

### §. VIII.

Aequo dubium atque incertum esse videtur definire  
velle, quænam pars novissimas leges Fœderum Hafniensis &  
Travendalensis primum violaverit: Id vero extra omnem du-  
bitationis aleam positum est, infelicissimam Regis Sveciae ad  
Pultavam pugnam, eamque subsecutam Regno Sveciae pene  
exitialem, saltem in hunc usque diem insuperabilem cladem,  
reconciliatis ad tempus, per dictas pacificationes, hostibus suis,  
exoptatam præbuuisse occasionem Publicis literis & Scriptis, va-  
riisque rationum momentis, si non pondere saltem numero æsti-  
mandis, universo orbi, quoad fieri potuit, persuadendi, se vinculo  
dictorum Fœderum haud amplius teneri, sed penes Caro-  
lum Regem culpam hærere, quod turbati Regni Svecici Pro-  
vinciis hostilia arma inferre cogantur. Quid enim aliud sibi  
vult

vult Clarigatio illa seu belli denunciatio, quæ auctoritate publica, idiomate tam Danicō quam Germanico Hafniæ d. 28. Octobr. 1709 typis expressa prodiit hoc titulo; Manifest oder eine Summarische Erklärung über die rechtmäßige und hochwichtige Ursachen, welche Thro Königl. Majestät zu Dennemarck und Norwegen se. bewogen und gleichsam gezwungen, dero Reihe und Lande gegen des Königs in Schweden vielfältige, von Zeit zu Zeit entgegen die Tractaten ausgeübte, und ferner zubefürchtende Gewaltsamkeiten und Ungerechtigkeiten zugeschüzen, und mittelst der in aller Völcker Rechten zugelassen Mittel durch des Allerhöchsten Beystand in zulängliche Sicherheit zusezzen. Quid, inquam, hæc sibi aliud volunt, quam quod infelix Svecia, præter inumeras alias, quibus tum premebatur, & tunc non opprimebatur, calamitates, sua culpa suisque fœde um contraventionibus, justa quoque Danorum in se provocat erit arma?

## §. IX.

Enimvero, quodsi quis è contrario paulo attentius legat Scripta illa, quæ ex parte Svecorum rationes dicta Clarigationis seu Manifesti, ad accuratiorem juris & æquitatis lancem examinarunt juxta, & sub acriorem paulo censuram vocarunt; qualia sunt: Unvorgreifliche Gedanken eines Schwedischen Unterthanen über das jüngst herausgegebene Dāniſche Manifest, gedruckt im December. 1709. 4. Quæque anno mox sequenti, sub initium mensis Maji, velut Apologia & defensio prioris scripti, subsecuta est: hoc titulo: Kurze Anmerkungen über die mit gar zuunrichtigen Gewichten geschehene Erweigung der unvorgreiflichen Gedanken über das lezte Dāniſche Manifest, zu Bestättigung der Wahrheit, gegen alle passionirte Verdrehung derselben, herausgegeben im Anfange des

F

Maji.

Maji. 1710. 4. (a) is certe vel invitum se in assensum illius partis trahi sentiet, Danosque non tam ex justis violati foederis causis infesta Sveciæ arma intulisse, quam per temporum potius occasionem, ad repetendum ea, quæ per injuriam priorum temporum sibi erpta esse autemabant, meliorem belli fortunam experiri voluisse forte judicabit; in primis ubi consideraverit, minus felicem armorum Danicorum, sub initium suscepæ in Scaniam expeditionis, successum; Svecis interim, in tantis angustiis summaque rerum suarum perturbatione, fiducia bonæ causæ fretis, victricibus suis armis, quorum vim Dani iterata vice in prælio ad oppidum Gadebusch perceperant, ostendentibus, sibi nec animum nec voluntatem deesse, ultima pro fide sua in Regem experiri.

(a) Utriusque hujus scripti auctorem fuisse Clariss. Dn. Jo. Phil. Palthenium, singulare olim decus Professorum Academiæ Gryphiswaldensis, cum ex stylo, tum ex aliis rationibus, non sine veri similitudine, conjiciunt rerum istius ætatis gestarum peritii.

#### S. X.

Eadem ferme ratio est tertio loco memorati *Fœderis Altranstadiensis*, cuius violationis culpam Augustissimus Rex Poloniæ Augustus II. in libello causas redditus sui in Poloniæ manifestante, (a) tot & tam speciosis rationibus à se amolitus est, ut quincunque Lectorem à partium studiis otium facile habeat consentientem. Quodsi vero, ex altera p[ro]p[ri]etate Svecorum rationibus standum est; omnis culpa rupti fœderis Altranstadiensis in dictum modo Poloniæ Regem redundare videtur; Quare & Rex Sveciæ in literis ad urbem Benderam d. 28. Jan. 1711. datis, typisque publicis exscriptis, nec non ad modum Manifesti, quod vocant, pasim in Polonia per Palatinum Kiovensem sparsis, Regem Augustum redintegrati in Polonia belli, violatique fœderis ac fidei haud obcuris hisce verbis reum egit: *Sufficit pro re nara tantum indicasse, peracta esse*

esse ac firmata hæc omnia Tractatu Varsavineſi, Regemque Augustum  
in eadem, ratibabit a pace Altranſadienſe, libere conſenſe atque omni  
juri ſuo, quoconque demum nomine veniret, in Regnum Poloniæ atque  
magnum Ducatum Lithuanie in perpetuum ſancte ſolenniterque re-  
nunciaſſe; miſo ad Ordines Reipubl. Authentico Diplomate, quo eos-  
dem, fide ipsi data, exſolutos, ad obedientiam novo regi præſtandane  
remiſit. Post ejusmodi Solennia paſtorum publicorum, Fidei uerionis  
bus etiam maximorum Principum conſimilatorum, quis dubitaret  
non ſatis proſpectum cauſumque eſſe ſaluti Reipubl. ſecuritati patriæ,  
ac liberrati denique omnium ac ſingulorum civium &c. ſed ecce!  
idem Rex Augustus, tot paſſibus hæc tenus defunctus, ad fidem Orbis  
Christiano faciendam de pacato ſuo ingenio, deque ſincera intentione  
non turbandæ amplius tranqullitatis, aut trabendæ in caſum Reipu-  
blicæ, e repente ad opprimendam Poloniam atque novum in ea belli in-  
cendium excitandum, cum armata manu prorūpuit. Regium dia-  
dema, deponitum & abjuratum paulo ante, ſibi imponit; infenſi-  
ſimum hoſtem nominis polonici in ſocietatem facinoris affumit, ac innu-  
merabilem propemodum turbam ignoti nominis hoſtium in ſinum  
Reipubl. invebit, eique hanc in prædam dat, quo facilius ac ſecurius  
dominatum, in eam exſangvem & truncatam nobilioribus ſuis parti-  
bus, demum exerceat. &c. &c.

(a) Copia hujus libelli facta eſt in der Europäiſchen Fama. Part. XC. p. 463.  
ſeqq. & p. 639. ſeqq.

### §. XI.

Hæc ita legenti & intimiores status cauſas ignorantii  
non poſſunt non ſuſpicionem movere, Regem Augustum non  
prorsus ab omni rupti hujus foederis vinculi culpa tuiſſe im-  
munem. Niſi quis forte cum iis ſentiat. Politicis, qui in foede-  
ribus ſumma urgente neceſſitate paſtis, vel potius per vim ma-  
jorem expreſſis dicam an extortis, insuper & juſto durioribus  
conditionibus munitis, principes deterioris conditionis ab  
omni ſervandæ fidei obligatione absolvunt; Quorum patro-  
cinium

cinium non modo Florentinus ille Politicus, vel potius omnium Pseudo-Politicorum Antesignanus, *Nicol. Machiavellus* (a) aperte suscipit, sed pollicem omnino iis premunt, quotquot Machiavelli vestigia secuti, omnes Principum actiones, adeoque & in fœderibus tam pangendis quam servandis, frangendis & violandis, pro re nata ad rationem status revocandas, & attemperandas esse autumant. Sed de his mox dicendi erit locus, ubi ad causas violatorum Fœderum genuinas seu svasorias & ut plurimum areanas, si non omnes saltem potiores, pro instituti ratione latius explicandas pedem promovemus.

(a) *Nic. Machiavellus* in Principe suo. Cap. XVIII. item in Discurs. de Républ. Lib. III. c. XXIV. Cujus titulum, five summiam huic lemmati includit.  
*Qua coetus promissi non necesse est ut servet.*

### §. XII.

*Svasoriae* igitur *causa*, quas etiam moventes & impellantes recte dixeris, sunt arcana illarationes, quibus Principes & Civitates, vel sua sponte, suisque affectibus ducti, vel svasu aliorum & eorum in primis, quos dandis & moderandis intiomoribus status sui consiliis adhibere solent, inducti, sanctissima fœderum vincula non tam laxare, quam vi quadam rumpare, nulli fibi dacunt religioni. Etsi enim æquum erat, fidem principum semper & ubique tantam esse, ut vel nuda eorum verba atque promissa jurejurando sanctiora, vel saltem eidem paria haberet debeat, quæ vox vere Regia fuit Alfonsi V. cognomine Sapientis Arragoniæ Regis, auctore *Antonio Panormirano*: (a) Quotidiana tamen experientia teste haud rare contingere videmus, ut nonnulli eorum vel ex innata ingenii levitate animique inconstantia, vel ex affectata quadam calliditate, quam perperam prudentiae nomine regunt, nullam datæ fidei rationem habeant, sed fœderibus, vel juramento firmatis, velut tesseras ludant, sanctissimaque fidei obtestatione, nimium fidentes deludant & parum cautos fallant.

(a) *Panormitanus* de Dicis & Factis Alfonsi. Libr. I.

### §. XIII.

## §. XIII.

Tales ex antiquiori Historia fuere par illud illustrium apud Athenienses & Lacedæmonios Imperatorum Lysander & Alcibiades. De hoc enim non modo *Plutarchus* (a) testatur, admodum mobili atque versatili fuisse ingenio, & ipso *Chamæleonem* mutabiliorem; sed vel ex eo etiam patet, quod ab Atheniensibus ad Spartanos, ab his ad Persas, inde iterum ad Athenienses, denique ab his ad Thraces transiens, omnium istorum populorum induerit mores; quare & *Nepoti* (b) princeps temporibus *callidissime inserviens* audit. De Lysandro autem ex eodem constat *Plutarchus*, (c) frequenter ipsi in ore fuisse dictum illud: *Pueros talis seu astragalis, cæteros juramento fallendos esse.* Recentium exemplorum loco esse possunt Alexander VI Pont. Rom. & Ludovicus XI. Rex Galliæ. De illo enim ipse *Ma-chiavellus*, (d) consummatisimus alias hujus artis Magister, ingenuam hanc edidit confessionem: *Consummatum is, inquit, impostorem egit; habuitque, quibus illuderet, non paucos: faciendi fidem nemo peritior, jurando eam atque diris execrando firmandi, nec quis alias levior: Commodum autem omnes ei imposturæ cesserunt, artis uti bujus gnarissimo.* Hunc autem *Philippus Camerarius*. (e) primo loco numerat eos inter Reges & Principes, qui cœdera jurejurando per veri Dei nomen firmata tam flocci faciant, ut levi de causa ea negligant, suisque cupiditatibus, posthabita fide data, indulgeant: *Quoties enim, sunt verba Camerarii, ut Historici testantur, Ludovicus XI. Rex Galliarum & Carolus Dux Burgundia pactiones jurejurando confirmarunt, tories fere cum alterutri commodum videretur, ab iis recesserint: adeo ut dici possit, eos sibi fidem invicem dedisse, ut ea quæ antea servanda pepigerant facilius infringerent; eoque Cominæum (f) respexisse, ubi ait: Omnia eorum consilia eo spectasse, ut alter alterum falleret.* Quid, quod iam *Cominæus* non ipsum modo lubricæ admodum fidei in-

servandis pactis Principem, sed mirum etiam in dissociandis & separandis Confederatis artificem fuisse, eumque in finem nec pecunie nec operæ unquam parcum extitisse, scribit. Male etiam hoc nomine audit apud Historicos Ferdinandus Catholicus, qui, referente Amelotto, (g) cum aliquando percepisset, Ludovicum XII, Galliae Regem queri, se jam bis Ferdinandi fraudibus esse circumventum, dixisse fertur: *Bisne per Deum? Hem vinolentum hominem! decies & amplius eum fecelli.*

- (a) Plutarchus in vita Alcibiadis. p. m. 83. sqq. (b) Nepos in vita Alcib. cap. I.  
 (c) In vita Lyfandri, p. m. 355. (d) Macbiavellus loc. supr. Cit. §. XI.  
 (e) Camerarius in Meditat. Historic. Cent. II. c. 78. (f) Cominus de  
 Reb. Gest. Ludov. XI. Libr. II. c. 1. (g) Amelot de Houssay in Observat.  
 suis super Fœderib. Princip. Tom. II. p. 66.

#### §. XIV.

Præter hanc insitam animi levitatem, & velut proprium nonnullis Principibus fallendi studium, multum etiam eos ad rumpendum fœdera movet mixtus ille ex invidia & ambitione *Æmulationis affectus*: Quo laborantes, non modo non superiores, sed ne pares quidem ferre possunt. Hinc simulac alios Principes, & finitimas in primis Civitates atque Respublicas, viribus augeri & incrementa capere vident, res eorum secundas limis aspiciunt oculis, & ut mature iis obicem ponant, nullum non movent lapidem, nec ipsam fidei fœderumque Sanctitatem violare nefas ducunt; &, ut speciosum aliquem habeant titulum, vel metum atque periculum nimium & in immensum crescentis potentia fingunt, vel servandi *Æquilibrii* quaerunt prætextum. Et quanquam ex mente utriusque Cornelii, Nepotis (a) pariter & Taciti, (b) commune parvis & que ac magnis & liberis Civitatibus vitium, ut invidia gloria comes sit, & libenter de his detrahant, quos emergere videant altius; maxime tamen regnat & obtinet apud illos populos, qui ut ingeniorum ita & studiorum diversitate gaudent maxima,

- (a) Corn. Nepos in vita Chabriæ, c. 3. (b) Tacitus in vita Agricolæ, c. 1.

#### §. XV.

## §. XV.

Atque hæc sine dubio causa fuit multoties ruptorum fœderum inter Athenienses & Lacedæmonios, Romanos item & Carthaginenses; nec non olim inter Anglos & Scotos; imo Anglos inter & è regione oppositos Gallos pectorum: Siquidem in Annalibus Franco-Gallicis (a) nihil frequentius occurrat, quam Anglicana bella & irritæ utriusque gentis pacificationes. Et Frossardus (b) miraculi loco refert, quod Angli atque Scotti annis jugiter tribus, quibus induciæ erant pæctæ, & anno etiam integro post, sibi invicem haud moverint bellum: idque prius ab annis ducentis haud factum fuisse ait. Licet hodie major inter Anglos non modo & Gallos, sed Scotos etiam ex eo tempore, quo utrumque regnum sub uno eodemque Capite unitum est, concordia vigeat & intercedat.

(a) Vid *Jean du Tillet Tr. des Gvères & traitez de Paix entre les Rois de France & d' Angleterre*, (b) *Froissardus*, L. I, c. 27.

## §. XVI.

Neque aliam facile quis comminisci poterit causam Fœderum inter vicina Daniæ & Sveciæ regna quoties pæctorum, toties etiam ruptorum, quam ingens illud & in veteratum utriusque gentis ut morum atque ingeniorum, ita & finium ac studiorum dissidium. Nam teste Jo. Magno Archiepiscopo Upsaliensi (a) *Vix aliquis tam prudens Rex tam præstantis ingenii Pontifex, aut aliis quispiam in omnibus virtutibus inventus fuit, qui omni ex parte extinguere posuerit in veteratum odium illud, quo Dani in Sveones & Gotbos, vicissimque Sveones & Gotbi feruntur in Danos.* Viderurque nonnullis dissidium illud ab origine regnorum suorum principium occasionemque suscepisse; cum ipsa natura Danos suis insulæ inclusos à Sveonibus Gotbisque interjecto mari separavit. Quamvis enim aliquando sub uno Rege, ut sub Algorbo, regna illa fuerint unita & gubernata tamen æmulationes &

con-

contentiones nunquam siverunt populos illos perfecto amore adunari. Causas tam impacabilis odii dicant alii, & forsitan apud Saxonem aliquaque Danorum Historias justæ causa invenientur. &c. OLAUS MAGNUS (b) tamen, dicti Johannis frater & in Archi-Episcopatu Upsaliensi ex voluntate Pontif. Romani Successor, rationes sive causas Saxonis, cognomento Grammatici, ex XVI. illius Libris in compendium misit, suæque de Gentibus Septentrionalibus Historia inseruit; ex quarum prima facile est judicare de reliquis; ita autem Olai fluunt verba: Sveci ac Gotbi cur tam ferocibus animis & armis contra Danos ferantur, ipse Danorum diligentissimus Historicus in XVI. Libris suis binc inde usque ad summum horrorem apertissimam reddit rationem. Ubi que enim meminit gentis suæ tam violentum & truculentum regnum in subditos, ac dolosam amicitiam in vicinos, & utrumque in omnes confederatos, ut quilibet prudens & sensatus homo, merito cavere debeat, quam tutus in eorum societate aut naturali vinculo, vel alia jurata confederazione esse posset: Quæ deinde per partes latius adhuc in subsequentibus persequitur: Quanquam & Danis in contrarium dissidii hujus rationes sat speciosas, & Genti Svecorum non admodum favorabiles esse, nulli dubitamus, quas autem brevitatis causa omittimus.

(a) Jo. Magnus in Histor. Gothor. & Sveon Lib. IV. c. 10. p. m. 165. (b) Olai us Magnus Lib. VIII. c. 36, & 37.

### §. XVII.

Proximus ab æmulandi studio affectus, qui Principes in transversum agere & ad violanda humana divinaque jura ac foedera impellere solet, est Regnandi dominandique libido: Quæ usque adeo nonnullos occupavit, ut spreta omni religione & fidei foederumque Sanctitate, remis, quod ajunt velisque ad summam imperii potestatem contendant: Quibus si non in ore, certe in animo versantur illa Eteoclis Thebanis,

bani, dominationem affectantis verba apud Euripidem: (a)

*'Ειτερ γάρ αδειν χρή, τυρανίδος πέπι  
Καλλίσσων αδικεῖν, τ' αἰδη δ' εὐτεβεῖν χρέον.*

Quæ Cicero (b) ubi Julium Cæfarem, imperii consuetudine captum, studio rapiendæ ad se dominationis, eosdem Euripidis versus semper in ore habuisse testatur, sequentem in modum convertit:

*Nam si violandum est jus, regnandi gratia  
Violandum est, aliis rebus pieatam colas.*

Vel prout Seneca Tragicus (c) in eandem ferme sententiam ait:

*- - Pro regno velim  
Patriam penates, conjugem flammis dare:  
Imperia pretio quolibet constant bene.*

(a) Euripi de Phoeniss. n. 527. (b) Cicero de Officiis Libr. III. c. 21.

(c) Seneca in Phoeniss. Act. IV. v. 662, seqq.

### §. XVIII.

Quid enim, quæso, Henricum cognomine *Valesium*, quandam Poloniæ Regem, movit, ut post acceptum de morte fratris sui Caroli IX. Galliæ Regis nuncium, posthabita fide Ordinibus regni Poloniæ jurejurando data, ruptoque foedere per Pacta Conventa inito, intempesta nocte, ne salutatis quidem Senatoribus Regni, lateri suo admotis, Poloniæ regnum quasi precarium desereret & citato cursu ad capesenda regni Gallici gubernacula properaret; nisi impotens regnandi & latius imperandi cupiditas. Quanquam enim postmodum Henricus variis rationibus allatis, præceps & festinatum illud iter excusare, Polonisque persuadere conatur, non decessisse sibi regem, sed domicilium tantum mutasse, nec regni desertionem, sed regnorum conjunctionem factam credeant. Tantum tamen abest, ut Poloniæ Status

G

ac

ac Ordines in mutua perstiterint fide, ut hoc ipso facto Regis, pacta conventa primum violantis, se simul omnis obsequii & fidei vinculo solutos esse palam profiterentur, ipsumque Regem regni desertorem, ad diem in Comitiis Varsaviensibus præfinitum haud redeuntem, publice exauctoratum Regia dignitate privarent, prævioque Interregno alium in absentis locum Regem eligerent. Quid, ut alia in præsenti exempla nostris temporibus quo propiora & notiora, eo & magis odiosa, brevitatis studio omittam; Quid, inquam, alterum Henricum, Valelii infeliciter trucidati infeliciorem adhuc Successorem, ex gente Bourbonia ortum, & inter infausti nominis Henricos Galliæ Reges Ordine quartum & ultimum, permovit, ut ringente etiam & reclamante conscientia, spreta avitæ Religionis fide, Sacris Romano-Catholicis ore magis quam corde se addictum profiteretur, nisi sola, eaque immodica ex intempestiva regnandi dominandique libido?

### §. XIX.

Quemadmodum autem regnandi libido raro à *cupiditate* *babendi* *sejuncta* esse solet; ita ex hoc etiam capite, non una Summorum Principum Fœdera rupa esse, rerum superioribus temporibus gestarum monumenta testantur. Faciunt hoc Principes, quotquot Machiavelli Præceptis nutriti, h. e. pravis regnandi suæque ditionis fines profundi artibus imbuti, nihil non agunt ex lege utilitatis propriique commodi; cuius spes ubi affulget, fidei fœderumque Religionem violasse in minimis ponunt, idque omne in partem damni interpretantur, sicuti lucri faciendi negligant occasionem: Nam, ut *Macchiavellus* (a) ait: *Decet sapientem Principem cum damno suo fidem servare, cuius fidei*

dei dandæ non amplius causæ existant, daræque dilapsæ sunt occasio-  
nes h. e. si nullum ex negotio sperari potest utile, quippe  
quod unica actionum illius norma esse debet, non habet  
causas dandæ, multo minus servandæ seu præstandæ fidei,  
prout verba Machiavelli *napa. ppa. le.* ejusdem interpres  
*Casp. Langenbertius.* (b) Hanc vero artem si quis alias certe  
summus ille hujus & superioris sæculi veterator, Ludovicus XIV. Galliarum Rex, non calluit modo, sed & toties  
exercuit, quoties sibi commodam occasionem terrarum  
suarum fines amplificandi arridere sensit. Inter omnes  
enim constat, quinimo certiore certius est, illum contra jus  
& fas pro lubitu ex mera eaque proterva habendi cupidine,  
regnique sui terminos proferendi studio, semel atque  
iterum sanctissima fœdera publico nomine sancta vio-  
lasse, adeoque veterem Gentis suæ apud *Flav. Vopiscum* (c)  
infamiam, quod fidem frangat ridendo, non absteruisse, sed tot  
repetitis actibus renovasse ac magis adhuc confirmasse.

(a) *Machiavellus* in Princip. Cap. XVIII. (b) *Langenbertus* in Machiavelli  
locum modo citat.

#### §. XX.

Luculentum malæ ejusmodi fidei documentum dedit  
paucis annis, postquam solenne illud fœdus Pyrenæum 1659.  
cum Rege Hispanæ Philippo IV. pepigerat, ac inter alias e-  
jusdem fœderis conditiones, vel jurejurando interposito,  
omni juri in provincias Belgii Hispanici, quod ex novo cum  
Principe Hispanica Maria Teresia contracto connubio sibi  
suæque Conjugi vel enatum esset, vel quoconque modo in-  
posterum enasci posset, renunciaverat. Vix enim Philip-  
pus IV. fato concesserat, cum Ludovicus de invadendo Bel-  
gio non inimica modo consilia agitaret, sed iteratis etiam  
promissis, additisque tot sinceritatis suæ testificationibus,

G 2

novo

novo Regi frustrato, nec opinanti infesta inferret arma. Liceat in hanc rem gravissimis incomparabilis Historici Pufendorfii (a) uti verbis, quibus nefandam foedifragi Galli perfidiam & genuinas illius causas exposuit juxta ac vivis quasi coloribus depinxit: *Inter ista, inquit, eruperant Galli adversus Belgium Hispanticum destinata, cuius deglutiendi ordo dudum Gallos adusserat, non solum quod eo integro subsistente, Gallia ista parre hostium incursionibus Lutetiam usque pateret; Sed & quia vicinorum oppressionem agitanti, istud velut fundamentum invadendis reliquis stabiliendum erat: Cui usui & antea istae provinciae ab Hispanis destinatae fuerant.* Id bellum eo magis omnium Europæ populorum animos advertebat, quod eo specimine primum apparuisset, quam parum Gallo foedera ac juramenta cordi forent, si occasio fines dilatandi allubesceret. Cumque fides humanae societas vinculum sit, quo sublatu mortaliū vita parum à belluarum inter se immanitate abfutura sit, omnibus honestis horrori erat, à Rege titulum Christianissimi peculiariter sibi vindicante, istam ita proterve violari & inter ludicra haberi. Sane Reginæ Mariae Tereſiæ cessionem in eas provincias, solenni jurejurando ipse Rex firmarat: Nec pudor tamen erat, futile prætextum juris devolutionis, inter privatos per Brabantiam recepti, violatæ fidei obtendere &c. &c. Idem testantur pacta Fœderum, Monasteriensa, Noviomagensia, Rywicensia aliaque, quæ sub levissimis, iisque non oblatis sed quæsitis & obtorto velut collo adductis, perfidiæ suæ prætextibus læsit atque turbavit, ita, ut quemadmodum olim apud Romanos, Pœnorum perfidia toties deceptos, *Punica fides*, ita & hodie apud Germanos, Gallorum Regis artibus multis modis frustatos atque delusos, *Gallica fides*, velut suspecta atque dolosa fere in proverbium abierit.

(a) Pufendorf. Rerum Brandenb. Libr. X. §. 28. p. 664.

## §. XXI.

Hisce hactenus enumeratis violatorum foederum causis, potissimum moyentibus, omissis aliis, adhuc superaddimus, Fœderatorum cum multitudinem, tum inæqualitatem, nec non ipsorum Fœderum cum invitis & reluctantibus ultimaque necessitate adactis, vel sub durissimis & ini quisimis sãepe legibus contractorum, dicam an coactorum, conditionem. Illa enim, nimurum fœderatorum multitudine laborantia, seu fœdera inter multos eosque viribus plane dispares icta, sua natura haud ea firmitate animorumque consensione gaudent, quin periculum sit, quempiam ex fœderatis aut remissorem fore, aut ab aliis sive minis sive pollicitationibus disjunctum iri, ut ait *Gvicciardinus* (a) & *Phil. Cominæus* (b) prorsus impossibile esse autumat, ut plures Principes simul fœderati, diu simul maneat colligati, nisi capiat sit, quod omnibus ex pacto legem prescribere queat; Ac ratio quidem in promtu est; quoniam inter plures non facile modo oriri potest suspicio, dum unus ab altero se negligi aut contemni autumat; sed plures etiam atque diversi plurimum solent esse fines atque respectus, qui animos sociorum & fœderorum nullo negotio dissociant.

(a) *Gvicciardinus* Historia sui temporis. L. II. (b) *Cominæus* Lib. I. Cap. ult. ab Init.

Probe illud intellexisse videtur Carolus V. Imperator, qui tempore Foederis & ex eo postea enati belli Smalcaldici justa de fœderatorum rebus facta æstimatione, initio cunctandum sibi potius, quam prælio decertandum duxit; Siquidem ex hujusmodi societatum seu confœderationum natura optime conjiceret, non diu consensionem inter tot civitates & Principes, civilis administrationis ratione dissidentes, duraturam esse; nec æquato imperio & auctoritate

Ducum salutaria consilia capi, aut cum opus esset exsecutio-  
ni demandari posse. Cumque præcipuum fœderis hujus ro-  
bur in civitatibus confisteret, quarum pecunia militem ali-  
bellumque duci oporteret, sic judicabat: ita plebis esse in-  
genium, ut omnis moræ impatiens, si diutius bellum trahat-  
tur, illico cunctationem, quæ in bello quodammodo neces-  
saria est, tribuat ambitioni aut prævaricationi Ducum, bel-  
lique pertæsa tandem collationibus denegatis à societate fœde-  
ris discedat. Qua in re Imperatorem haud vanum fuisse  
conjectorem tristis fœderis illius bellique docuit eventus.  
(a) Unde etiam Jacobus Sturmius, vir πολιτικός, ac sua  
ætate inter prudentissimos numerandus, ex vero de hujus  
fœderis locis dixisse fertur: *Quo magis crescit numerus noſter  
& multitudo, eo efficiuntur imbecilliores, ceu ex Peueri Chronico  
refert Georgius Richterus.* (b)

(a) Vid. Christ. Beſoldi Diſſ. de Fœder. Jure C. IV. §. 17. (a) Richterus axi-  
mate Politico CCLXXVII Exempl. 6.

### §. XXIII.

Multum etiam, imo plurimum ad violationem fœde-  
rum, in primis pacis inter belligerantes, confert, si alterutra  
paciscentium pars invita ad ineundum duras & haud raro  
iniquas fœderis conditiones adigatur. Siquidem pax ini-  
qua non modo ipso bello deterior, sed etiam belli mox re-  
dintegrandi fomes esse solet. Hinc prudentia politica Vi-  
ctoribus armisque superioribus svadet, ut, si firmam ſtabi-  
lemque pacem ſerio intendant, à justo durioribus aut iniquis  
abſtineant conditionibus, nec tam cogitent de farcienda in  
præſens amicitia, quam potius operam dent, ne relinquatur  
in posterum ulla belli renovandi materia: *Nihil enim, ait Po-  
lybius, est faciendum injuste aut patiendum turpiter, ut pace  
frui valeamus; & quemadmodum nec pacem iniquam acci-  
pere,*

pere, ita nec dare semper consultum est, id quod liberiori ingenuoque suo responso testatus est Privernatium ille Legatus apud Livium? (b) qui in Senatu Romano interrogatus, qualem ab iis pacem expectaret? *Si bonam dederitis, inquit, & fidam & perpetuam, sin malam, haud diuturnam;* quo cordato responso non modo æquissimas pro gente sua pacis conditio-  
nes, sed insuper adhuc jus civitatis Romanæ impetravit.

(a) *Polibius.* Libr. IV. (b) *Livius* Libr. VII. c. 21.

§. XXIV.

Etenim multoties contingere videmus, ut si Princi-  
pes post diurna aut cruenta, & cum internecione tot mil-  
lium, ruinaque vel detrimento tot civitatum ac provincia-  
rum, infelicititer gesta bella, tandem ad salutaria pacis consilia  
animum advertant, ut plurimum hi, qui fortunam belli ex  
voto faventem experti sunt, ac jure belli vim cogendi adver-  
sarios in potestate habent, suæ quasi fortis obliti durissimas  
fœderis ac pacis ineundæ leges viætis præscribant; quibus si  
aliter fieri nequit, infelices ejusmodi principes temporum in-  
fidiatores & aucupes, invito quamvis & reluctante animo  
subscribunt quidem, ut cursum fortunæ victoris tantisper  
sistant, vel saltem ad tempus interrumpant; Ast simulac ne-  
cessitatis lege soluti ac liberati blandam rebus suis olim ma-  
le gestis, nunc vero in integrum restituendis, arridere vide-  
ant occasionem, prioris ac durioris fœderis vinculo se haud  
amplius tenere arbitrantur. Nec desunt ex ordine Politici-  
orum, qui Principibus talia ausis, pollicem premere nulli  
dubitant. Quos inter facile primas ducit Machiavellus (a)  
supra jam memoratus, qui postquam S. P. Q. Romani fa-  
ctum turpe illud fœdus Sp. Posthumii post cladem Caudia-  
nam cum Samnitibus icetum, haud quaquam approbantis re-  
tulisset, hanc tandem adjicit è *inquit:* *Victoria communiter lau-  
dem*

dem & gloriā apud omnes parit; econtra autem, si ipse vietus sis, iterum laude tua non carebis, si monstres, quod accidit in fortunum, non ex tua culpa accidisse; aut accepimus damnum, aliqua re præclarre geſta iterum compenſaveris alterum; quodſi que per vim promissa, non obſervaveris, id ſine dedecore facere queas. Quæcunque enim promissa publico nomine per vim extorta; ea omnia, ubi ceſſaverit viſ illa, que prius coegerat, irrita fieri ſolent, & quidem ſine ignominia ejus, qui non ſervat, qua per vim coactus promiferat. Hujusmodi rerum exemplorumque plenæ ſunt historiæ & in quotidiano rerum uſu alia infinita occurruunt quotidie. Cernimus enim inter viros principes nullos eſſe, qui ſervent ea, quæ per vim coacti promiferunt, poſquam deſit viſ illa quæ coegerat. Imo, neque reliqua promiſſa ſervant, quando cauſa, quæ eos promittere fecit, non amplius urget. Quæ quidem res, ſitne in principe digna laude, an non? hoc loco non amplius diſquiremus; præſertim cum in tractatu de Principis institutione de hoc genere argumenti copioſe diſputaverimus. Aſt illocum ad quem Machiavellus remittit, evolvamus egregia ſcil. fallendi ſuggerit præcepta: (b) ita enim Non eſt poſſibile, ait, ea rite obſervare, à quibus boni viri denominantur; ſæpe & res & publicum te bonum cogunt fidem ladere, charitatem, humanitatem cum religione negligere. Tempore accommoda, ad quamvis fortune auram inclinandi facilis: ama tamen quantum potes integritatem, neque niſi cum neceſſitas urget, defere; tunc autem velis tunc audeas, omni procul ſcrupulo, virio uti. &c. &c.

(a) Machiavellus, Diſp. de Republ., Libr. III. c. 42. (b) Machiavellus in Principe Cap. XVIII.

### §. XXV.

Juvat interim rem ipsam in præſenti unico, eoque mo-  
tissimo, Franciſci I. Galliæ Regis exemplo iuſtrare, quia omnes  
ex vitioso hoc fonte enatas fœderum violationes nimis ope-  
rum, recentiores etiam attingere periculoum ſine dubio eſſet  
futu-

futurum. Constat enim ex *Guicciardino* (a) in Consultationibus de pace cum capto in prælio Papienti Gallorum Rege inunda, constituendisque fœderis conditionibus, maxime discrepantes, longeque diversissimas Consultatorum sive sententias: Quarum *Prima*, quam Episcopus Osmensis maxime tuebatur, Imperatori suadebat, ut illustre magni animi devictio hosti daret documentum, & Franciscum amicè ac fraternè, nulla alia passione interjecta, præter eas, quæ ad perpetuam pacem & amicitiam inter se constituendam & Christianæ Reipublicæ morbos sanandos spectant, dimitteret. *Altera*, cuius antesignanus erat Federicus Dux Albanus, Vir magna apud Cæsarem auctoratis, nil generosi habebat, sed tota ad interesse seu utilitatem spebat; Summa enim Consilii ejus hæc erat: Ut Cæsar Francisco in tantis angustiis constituto, durissimis pacis legibus praescriptis, quanto posset emolumento extorto, libertatem restituat. Ab utraque Mercurii Gratinaræ Magni Cancellarii sententia toto, quod ajunt, cælo distabat; Regem enim Franciscum plane non dimittendum, sed ad dies vita captivum retinendum suadebat. Ex his Carolus V, medium secutus sententiam durissimis legibus, Regi Franciso per Buerenum cubicularium intimum libertatem obtulit, inter quas præcipua erant: Ut præter Juris, quod in Italiam haberet, omnimodam cessionem, Burgundiam Cæsari tanquam rem propriam restitueret; Duci Borbone Provinciam traderet; & præterea adhuc multa alia eaque gravissimæ & maximi momenti postulata pro se & Rege Angliae adderet: Quas conditions Rex Franciscus non summa modo molestia audiebat, seque captivum potius moriturum constanter affirmabat, quam ut filios suos ulla Galliae Regni parte spoliari permitteret; sed ipsis etiam iisque plurimis aulæ ac regni proceribus duræ & propemodum iniquæ ejusmodi pacis ac fœderis leges displicebant; de quibus dictus modo Epis-

H

co-

copus Osmentis inter alia ex vero ita iudicabat : *Medium sententiam, ut nimirum quanta maxima possit utilitate percepta Regem dimittas, omnium maxime implicatam periculosisimamque censeo, quacunque eriam affinitate, quibuscunque legibus, quove vinculo constringeris, semper tibi erit inimicus : neque illi unquam omnium, quotquot potentiam tuam timent, societas deerit, & sic nova prioribus magis cruenta & periculosa bella erunt in promptu.*

(a) *Guicciardinus Histor. Italic. Libr. XVI. p. m. 578. seqq.*

### §. XXVI.

Magnus autem Cancellarius Gratinara in gravissima sua Oratione ad Cæsarem habita, eodem Guicciardino (a) referente, sequentem in modum differuit : *Equidem semper, Invictissime Cæsar, sum veritus, ne nimia nostra cupiditas & male dimensi fines, quos nobis proposuimus, in causa forent, ut ex tanta tamque præclara victoria, tandem neque gloriam, neque utilitatem consequeremur, nunquam tamen bac victoria existimationem imperiumque tuum in discrimen aductum iri, quod manifeste fieri video, existimavi : quandoquidem de ea concordia agitur, qua Italia rotam desperationem ruat & Galliæ Regi libertas, sed tam gravibus legibus, ut si minus sponte, saltem coactus magis nobis inimicus, quam prius sit futurus, restituarur. &c. & Rex Galliæ liberatus, ut ulla ratione tot tamque magna promissa servet, vobementer pertimesco.* Cum vero Imperator his aliisque Cancellarii rationibus nequicquam permotus in sententia sua persisteret, nec non Franciscus amore libertatis recuperandæ rigidissimis illius fœderis legibus calamo potius quam animo subscriberet, constans tamen omnium fuit opinio : *Franciscum, ubi sui juris esset futurus, Burgundiam, propterea quod ea nimis magni ad Galliæ regnum momenti esset, nunquam traditurum : Quare & dictus sèpe Cancellarius, fœdus hoc tanta cum animi indignatione reprehendebat ac detestabatur, ut, quamvis passionis tabulas ex officio ut subscriberet, ei mandatum esset,*

con-

constanter tamen id recuaverit, dicens : *sibi tributa auctoritate  
in periculis perniciosisque rebus, cuiusmodi bac esset, minime uti li-  
cere :* Neque ab hac intentia unquam, vel Cæsar non parum  
indignantem, dimoveri potuit, adeo, ut Cæsar, ejus pertinacia  
perspecta, sua manu fœderis tabulas ipsam subscrifserit.

(a) Guicciard. l.c. p. m. 598. & 604.

### §. XXVII.

Docuit autem mox eventus, non de nihilo fuisse metum  
violationis fœderis durissimis ejusmodi conditionibus circum-  
scripti, nec tam libero consensu pauci, quam vi & duro neces-  
satis telo urgente coacti atque extorti. Vix enim Franciscus si-  
bi redditus suoque regno restitutus, ad nihil eorum, quæ sub  
sanctissima fidei mutuo datæ religione, pretiosissimo duorum  
filiorum Obsidum pignore confirmata, promisisset, se teneri,  
non tacitus modo cogitatione ac mente volvbat, sed sub gra-  
visima etiam querela de Cæsaris crudelitate & iniuitate, co-  
ram Legatis Pontificis ac Reipubl. Venetæ palam profitebatur  
his inter alia additis rationibus : Se, cum primo in arce Pici-  
giltonis, post Madriliensi, captivus adhuc fuerit detentus, Cæ-  
sari, petitionum ejus, iniuitate perspecta, sæpius prædixisse:  
si necessitate impulsus legibus aut iniquis, aut quas servare in  
potestate sua non esset, cederet, non modo eas non servaturum,  
verum etiam, quod iniqua, quæque præstare non posset promis-  
sa à se extorxisset (sibi in eo injuriam factam dicens) si quando  
occasio daretur, eam ulturum esse. Præterea omnibus notum  
esse, quod, quæ viā captivis & coactis promitterentur, nullam  
vim habeant; cumque adeo ipsa compositio irrita esset, nec si-  
dem suam, quæ ad eam confirmandam accessisset, obstrictam  
esse. Denique jusjurandum Remis præstitum, cum Rex tolent-  
ni ritu initatus, tantaque ceremonia & cœlesti oleo consecratus  
esset, quo se regni patrimonium haud imminuturum, libere

H 2

spo-

sponsordisset, multo antiquius esse eo, quod Madriti seu Mantua Carpentanorum, sibi invito extorsum esset, ac proinde illius obligationem vinculo jurisjurandi recentioris longe fortior rem esse, satisque causarum se habere existimabat, cur sine ulla perfidiae nota à datis ac sacramenti religione firmatis promissis pro lubitu resilire sibi integrum esset. Interim, ut fœderi huic se ex parte satisfecisse testaretur, mox post redditum suum ex captivitate Madritensi, arcem, haud procul Parisiis in nemore Bouloniensi exstruendam curavit, eique nomen *Madrit* indidit; in quam se recipiens Clausula compositionis Madritensis, plenissime à se satisfactum esse sibi persuadebat, vi cuius, Regia si de interposita receperat, se, nisi quamcunque ob causam promissa præstaret, sponte in custodiā arcis Madritensis redditum: Quod promissum ludicra hac ratione implendo, elut. (a)

(a) Vid. Petr. *Matthei de Bello inter Reges Galliar & Hispan.* p. 127.

### §. XXVIII.

Evidem nostrum non est in præsenti rationes violati à Francisco fœderis ad Lydium Juris Naturæ & gentium lapidem revocare; verendum enim omnino, ut rigorem justi examinis sustineant: Quia nullus bellorum inter Principes & Republicas futurus esset exitus, si parti deteriori belloque inferiori, vim majorem, vel etiam iniquitatem conditionum fœderis causando, pro lubitu à partis recedere integrum esset. Hinc magnus ille Juris Naturæ & gentium Consultus *Grotius* (a) inquit: Pax facta qualibuscunque legibus; servanda omnino, ob eam quam diximus fidei sanctimoniam, soliciteque cavenda non tantum perfidia, sed & quicquid animos exasperat. Nam quod de privatis amicitiis dixit Cicero, ad has publicas non minus recte aptes: quæ cum omnes summa religione ac fide tuendæ, tum

eæ

ex maxime, quæ ex inimicitiis revocatæ sunt in gratiam. Id quod saniores etiam gentilium agnovere: Unde M. Valerius Corvus apud *Livium* (b) in Oratione ad milites Romanos: *Postulate æqua, ait & fert: Quanquam vel inquis standum est potius, quam impias inter nos conferamus manus:* Et Sp. Posthumius apud eundem *Livium* (c) in Oratione ad Patres Cons scriptos: *Non ego inficias eo, tam sponsiones quam foedera sancta esse apud eos homines, apud quos iuxta divinas religiones, fides Romana colitur.* Et paucis interjectis ait: *Non indignitas rerum, sponsionis vinculum levat.* Sufficit interim nobis ostendisse, duras ejusmodi fœderum leges atque conditiones haud raro proximam eadem violandi suis fe caufam vel saltem occasionem: Quod, si opus esset, alio adhuc satis illustri ac luculento, eo que novissimo exemplo illustrare liceret, nisi persuasum haberemus, nobis vel tracentibus cuivis rerum hoc sæculo gestarum non plane hospiti illud ultro se offerre & in recenti si non omnium, saltem plurimorum, adhuc versari memoria.

(a) *Grotius L. III. c. 25. §. 7.* (b) *Livius Libr. VII. 40.* (c) *Id. Lib. IX. c. 9.*

### §. XXIX.

Ad id potius, quod in hac Sectione nobis adhuc expedientum restat properamus, nimirum ad varios fœdera violandi modos; Siquidem non una ratione Principes ac Civitates in violandis fœderum pactis agere solent. Alii enim, ut supra jam monuimus, qui omnia utilitatis pede metuntur, ubi commodum & è re sua id fieri posse vident, aperte ac sine fronte à pactis recedunt, nulla sive honesti, sive justi, sive aequi habita ratione, facili negotio prætextum armorum invenientes; id quod in toties repetitis fœderum infractionibus Regis Galliæ superiori sæculo contigisse viderimus: Alii vero clam & per cuniculos agunt, blandoque sub amicitia nomine tanto periculosius fallunt, quan-

H 3

to speciosior, sed & frequentior, hæc fallendi via est, secundum tritum illud Poetæ : (a)

*Tuta frequensque via est per amicum fallere nomen;*

*Tuta frequensque licet sit via; crimen habet.*

Fieri hoc solet, si Confederatorum alter, alios ad laceffendum, vel nocendum etiam federis Socijs, inducat atque subornet; vel si hostes, aut refractarios federatorum subditos foveat, vel arma, commeatum, sumtus aliaquead nocendum idonea instrumenta clanculum & occulte subministret.

(a) *Ovidius de Art. Amand. L. I. § 57. seqq.*

### §. XXX.

Porro violentur foedera non committendo solum, sed & omittendo: Nimirum vel negando vel protrahendo auxilia, ad quæ præstanta ex tenore pactorum alterutra pars tenerunt: Tum etiam, si deserto foederis socio altera pars ex improviso pacem cum hoste seorsim constitutat. Per multum enim interest Sociorum, unius ejusdemque federis, si junctim & unitis viribus Foederati ultimum ad versarii icum expectent, & sub clypeo, ceu in proverbio est, pacem firmam omnibusq; & singulis Sociis utili em atque gloriosem constituant: Unde et nonnunquam in foederum tabulis pacientes expressa clausula & disertis verbis illud cavere solent; ceu inter alia videre est ex Foedere illo Defensivo, anno 1656. Mens. Febr. inter Regem Galliæ Serenissimumque Electorem Brandenburgicum, Fridericum Wilhelmmum Magnum à rebus gestis merito cognominatum, ad sexennum pacto: Cujus Foederis Articulus X. ita sonat: *Ea pars, quæ suspicias petierit, nullum tractatum pacis, vel induciarum iniuste poteris, sine expresso consensu alterius; ne quidem suspensionem armorum, ubi id status belisque ratio efflagitaverit, nisi ad summam trium septimanarum pro utroque exercitu, quam neutiquam prorogare licebit.*

(a) Apud Pufendorfum Rer. Brandenb. L. VI. §. 12. p. 314.

### §. XXXI

Est autem hæc violatio, qua alter sociorum iusta auxilia negat, vel communem causam prorsus deserit, tanto major & gravior, quanto plura incommoda & pericula in reliquos fœderis socios redundant, si hostilibus copiis circumcincti, earum libidini & furori, quem destituti forte riprimerne nequeunt, exponuntur: Unde recte non minus quam sapienter in hanc rem judicat *Cominæus*: (a) *Quoties, inquit, illi, qui foedere conjuncti sunt secessionem faciunt, seque dissipari patiuntur, dubitari amplius non debet, quin paulatim omnes cladem aliquam accipient.* Id quod Summus ille *Heros Brandenburgicus* hostiumque suorum terror, *F RIDERICUS WILHELMUS*, non sine frustaneo tot expeditionum, pro salute Imperii RomanoGermanici felici auspicio suscepturn eventu, neque sine insigni tot victoriarum, quas à fœdis fragis suis & Imperii hostibus reportaverat, dispensatio expertus est; cum primum ab Ordinibus Fœderati Belgii, mox ab ipso etiam Cæsare, seorsim cum Rege Galliæ Neomagi pacifcentibus, se desertum videret. Extant eam ob causam gravissimæ justissimæque hujus Principis querelæ apud *Pufendorfum*, (b) ex quo pauca adduxisse haud alienum à re præsentiducimus: Ita vero in literis d. 1. Jul. 1679. ad Belgas datis, quibus eos violatae fidei postulare nullus dubitavit, questum legimus: *Miserandum Westphalicarum provinciarum, Belgis vicinarum faciem, dubium se relinquere, utrum plus causa sibi sit de iis querendi, qui affectata hostilitate, tali modo in suas ditiones graffarentur; an vero de iis, quorum causa sibi ista omnia accident.* Sane majori odio dignos esse, qui insuper habitis sanctissimis foederibus atque promissis inter extrema lucantes amicos destituant; qui eo ipso tempore, quo alios ad persequendum bellum summopere bortentur, ac de constantia sua magnifica policeantur, per separatum pacem, bello se se subducant ac communem causam prodant. - - - Atqui longè aliter a se cum

Re.

Republ. actum. Imminens adhuc tempestas, ut averteretur, summa se ope connixum. Cum ea jam erumperet, primum auxilio accurrisse, alios excitasse, omnia sua periculo exposuisse, omnes, quæ oblatæ fuerint, conditiones ante salutem Reipubl. habuisse; Proinde nunquam se dubitare potuisse, quin paria sibi ab ea Republ. fuerint præstanta. Nec flagitiis notam elevari, si culpa in paucos conferatur, qui privatos per respectus, seipsoſ & alios ab officiis semita abduxerint; nam haud eo secius neglecta fidei dedecus in rotam Rempubli-  
cam redundare.

(a) Comines Comment. de Reb. gest. Ludov. & Carol. L. II. p. 52. (b) Pn-  
fendorfus Rer. Br. Lit. XVI. §. 50.

### §. XXXII.

Ast, mirum non est quierelas hæcce fuisse frustraneas, cum Serenissimus Elector jam integro anno ante elapso surdis ad saniora confilia Batavis fabulam narrasset; partim solenni per Ministrum suum Romswinckelium apud Ordines Hollandiæ interposita protestatione; partim etiam epistola, gravissimarum rationum pondere subnixa, ad eosdem d. 15. Augusti Anno 1678, perscripta. Quibus Optimus Princeps verbis justissimum dolorem indicantibus testatus fuerat: Se id quidem haud sibi sumere, ut ad examen revocare velit, num tanta Rempubl. urgeat necessitas, ut separata pax, tam ini quis legibus, contra foedera, ineunda fuerit, eo tempore, quo Reipublicæ ac fœderatorum exercitus Gallis non impares videbantur. Quicquid tamen Reipubl. circa pacem suam statuere placuerit, firmam haud eo secius persistere obligationem ad præstanta ea, quæ ex fœdere teneatur; scil. ut operam navet, qvo pax cum Electore & aliis Fœderatis junctum fiat, cui se pronus dudum daclaraverint: Tum, ut per articulum XIV. & XXIV. fœderis Respubl. Electori satisfieri curet de damnis & incommodeis hoc bello toleratis; quorum æstimatio in sola Clivia ad sedecies cen-

centena uncialium millia surgat. Ceterum institutum Belgarum de separata ineunda pace, aperte repugnare Articulo XVIII. foederis, utpote quo cautum sit, ne induciæ cum hoste fiant, nisi junctim & communi consensu, ac ut subinde foederati invicem communicent, quæ circa pacem agantur, & ut nullus foederatorum pacem ineat nisi comprehensis reliquis &c. &c.

## §. XXXIII.

Sed longe gravior erat perfidiæ exprobratio in ea, quam diximus, epistola ad Belgas, proxiime post conclusam pacem Neomagensem data: quæ adeo significantibus & aculeatis concepta erat verbis, ut Minister Brandenburgicus eandem Ordinibus exhibere aliquandiu hæsitaverit, nec prius nisi post iteratum Principis sui summopere indignantis mandatum tradiderit, scripserat autem Elector, Pufendorfio (a) referente, in hanc circiter sententiam: *Cum ante aliquot septimanas sibi munitatum esset, Belgas de separata cum Gallo pace decrevisse, à se operse demonstratum, quam pericolosum atque noxiū id consilium universis foederatis, ac præcipue sibi sit. Ex eo tempore meliora quidem consilia agitari visa, ac ipsos perspectis Galli destinarii generoso instituto cum omnium læritia, una cum Angliæ Rege viam iniisse communī, honestæ, ac firmæ paci Christiano orbi conciliandæ. Sed quantopere tum omnes, ut in primis ipse, qui altos ē candore animi sui judicare s'everit, decepti fuerint, rem ipsam loqui, jussu ipsorum Neomagi subscripta Pace, cui geminam, five ipsas conditiones, five tempus, modumque eam conficiendi species, orbis ab omni retro memoria non viderit, nec deinceps forte visurus sit. Cui enim persuaderi potuerit, Rerum publicam, cui amor libertatis originem dederit, quamque constantia & fides, velut solidissimum actionum suarum fundamentum, bucusque servarint, eo prolapsuram, ut Federatos, qui unice in ipius gratiam arreptis armis præsens exitium ab eadem averruncarint,*

I

defe-

desidereret, insuper habita foederum clara dispositione, tortiens iteratis promissis, obligatione in ipsa natura fundata, ac grati animo officio: & quidem, ut non solum ius præteritis pacem concluderet, sed & consentiret, se auxilium e foederibus debitum haud præstituiram, aliosque Principes, ut eodem modo agant, inducturam; cum interim adversæ parti facultas relista sit, suo foederato pro lubitu assendi. - - - Quod si tamen isto pacto utique stare placeat, a se quidem id Deo ac tempori committendum. Hanc ideo tamen ad ignava consilia desensurum, sed fiducia justæ cause exspectaturum, quem finem loborum Deus datus sit. Ac si maxime res improspere succedant, solario tamen fore, id non suo merito, sed ob defectionem foederatorum contigisse.

(a) Rer. Brand. L. XVI. §. 50.

#### §. XXXIV.

Æque justarum querelarum plena erat Protestatio, quam Constantissimus Elector una cum Rege Daniae apud Legatos Imperatoris, pesimo Belgarum exemplo itidem a foedere ad separatam pacem ineundum abducti, per Legatum suum Blaspelium interponi jussiferat hoc sensu: *Quod Legationes Danica & Brandenburgica certiores factæ, Cæsaream Legationem pacem cum Dominis Legatis Gallicis pepigisse & conclusisse particularem, exclusis non modo Regia sua Majestate Danica, & Serenitate sua Electorali Brandenburgica, sed & datis acceptisque ejusmodi pacis conditionibus & legibus, quæ in ipsarum præjudicium manifeste tendant; suarum esse partium duxerint Cæsarea Legationi ob oculos ponere, quantumpere illa pax particularis & foederum religioni & toties datae, toties repetitæ fidei, imo æquitati, ipsique justitiæ adverletur & repugnet.* *Exigere enim foedera, primo, ut nemo Foederatorum absque alterius participatione negotiationem pacis vel armistitii aggreditur, & quæ circa dictam negotiationem occurront, usus alteri comunicet.* Secundo, ut nemo horum pacem cum hostibus communibus

bus ineat particularem. Sed tertio, ut alter alteri eadem jura, communitates, executiones, prærogativas & securitatem ab hostibus eorumque adbarentibus & foederatis pacificatur, quæ pro semet ipso stipularus & adeptus sit. Nullam autem barum foederis Legum à Cæsarea legatione observatam, sed contra in comperto esse, multa in præjudicium sua Regia & sua Serenitatis Brandenburgicæ ab ipsa acta & peracta esse. Contradicere itaque se paci buic particulari & dissentire in omnibus & singulis, quæ quidem contra religiose sancita foedera, promissa obligationes, jura & securitatem S. R. Maj. Dania & sua Serenit. Elector. Brandenburgicæ in ipsarum præjudicium cum inimicis jam conclusa sint, simul & declarare, quod illa pacta sint & esse debeant invalida, irrita & nulla; Postrema se Principibus suis reservare, quæcumque vigore foederum, promissorum, constitutionum decretorumque Imperii vel ullo alio jure tituloque ipsis competant ac debeantur.

## §. XXXV.

Verum omnia hæc remedia, ad integrum foederis vinculum, foederorumque unitatem servandum adhibita, irrita ac sine fructu fuisse, tristis mox docuit eventus; suoque adeo exemplo Gloriosissimus Elector Brandenburgicus comprobavit veritatem effati illius, quod Fridericum Saxoniæ Electorem, cognomine Sapientem frequenter in ore habuisse Casp. Peucerus (a) narrat: Nimurum in omnibus foederibus, seu inter Confederatos, illos esse loco deteriore, qui foedera servarent: Bonum est esse foedera; sed vae illi, qui servat. Wer der Allertreueste und Frömmeste ist, der muß lehrlich das Bad ausbaden. Gemeinglich, qui sanctissime foedera colunt, plectuntur durissime. Denn es sucht ein jeder, quomodo eludat foedera, und lassen die andern stecken und baden. Absit tamen, ut sapientissimum Principem hoc ipso pesima Fœdfragorum causæ patrocinari

voluisse credamus : Notior enim illius & pietas est & justitia, quam ut tale de eo quid suspicari, nedum opinari liceat. Tantum enim abest, ut Violatores foederum ullius viri honesti, multo minus tanti & tam egregii Principis, in quo certatim laudando omnes istius ætatis Scriptores conspirant, calculum mereantur, ut potius eundem recti justique amantibus merito sint invisi ac detestabiles ; dignique, in quos ipse Deus justissimus perfidiae vindicta severè animadverat: id quod pro instituti ratione paucis adhuc demonstrandum & uno altero memorabili exemplo illustrandum nobis restat.

(a) *Petrerus* in Continuat. Chron. Carionis ad 4. Id. Quintil. 1572. it. *Strigel.*  
in Chron. Part. I. p. 56. Add. *Richteri Axiomata Politica* num. 287. p. m.  
592.

## CAPITIS II.

### SECT. II.

#### De Fœditate & Infelicitate Violationis Fœderum.

##### S. I.

**H**is ita perspectis, neminem fore existimamus, quin fœditatem & turpititudinem perfidiae in fœderibus temere violatis ultro agnoscat. Quemadmodum enim mox sub initium hujus Dissertationis montuimus, fœdera secundum nonnullos à fœditate naturali sanguinis & immolationis vietimarum, sine quibus apud Romanos nullum feriebatur fœdus, nomen traxisse ; ita è contrario actus ille, quo sanctitas fidei & promissorum in pactis publicis seu fœderibus violatur, fœditatem seu turpititudinem moralem involvit, quam Deus juxta & omnes boni merito detestantur. Deo enim, inter ceteris præcipua elegia & illud refertur, quod pasim in Sacro Codice audit : (a) *Deus fidelis, fœderis & clementia servans erga sui amantes, suaque præ-*

ce-

*cepta servantes ad mille usque stirpes ; Deo, inquam, abominationi sunt labia mendacia.* (b) Imo falsiloquos perdit & abominatur fraudulentos. (c) Ecqvid vero aliud sunt foederum Violatores quam falsiloqui & fraudulenti; aliud ore loquentes, aliud corde volventes ; aliud magnifice promittentes ; aliud opere ipso praestantes ; falsisque promissis, quibus nunquam stare animus est, partem alteram, rem serio agentem, inducentes, taciteque circumvenientes. Et dum foedera servando Principes ipsum Deum, cuius imaginem in his terris gerunt, eaque propter & Dii in Sacris literis audiunt, imitantur ; ex opposito tetram Maligni Spiritus imaginem induunt, eique assimilantur, quotquot, foedera infringendo & pacta rumpendo, fidem promissorum temere violant : Is enim non persistit in veritate, quippe in quo nulla est veritas ; sed dum falsum loquitur, de suo loquitur, ut qui mendax est mendaciique Pater ; (d) secundum verissimum effatum ipsius Veritatis. Quid autem foedius, quid tetrius, quid detestabilius dici aut saltem cogitari potest, quam Patris mendaciorum similem fieri & asseclam ?

(a) Deut. VII. 9. Nehem. IX. 32. Dan. IX. 4. (b) Prov. VI. 17. c. XII. 22.

(c) Ps. V. 6. 7. (d) Joh. VIII. 44.

### §. II.

Porro foeditas & impietas violationis promissorum in foederibus ex eo etiam elucscit, quod ex sententia Juris Naturae Consultorum (a) obligatio & necessitas missa servandi fluat ex natura immutabilis justitiae, quae Deo pariter & omnibus his, qui ratione utuntur, suo modo communis est. Cujus veritatis insigne argumentum nobis præbet, quod vel ipse Deus, qui tamen nulla lege obstringi potest, contra naturam suam facturus sit, nisi missa præstaret : Id enim expresa Sacri Codicis oracula toties inculcant, quoties sanctissimam Dei fidem in ser-

vandis promissis celebrant, inque solatium fidelium commendant. Ita Levitæ apud Neheimiam una voce exclamant: (b) *Tu, Iebova Deus es, qui Abramum elegisti, & ex Ur Chaldaeorum educto Abramam nomen imposuisti, postquam cor ejus fidele coram te expertus es, fædus cum eo pepigisti, te semini ejus daturum terram Canaan;* & ecce! verba atque promissa tua servando confirmasti; quia justus es tu. Nec minori cum emphasi gentium ille apostolus Paulus (c) extollit immutabilem Dei fidem in servandis promissis, *Abrahamo omnibusque filiis Abrahami factis: Abrahamo, inquit, promittens Deus cum per nullum majorem jurare posset, juravit per seipsum: Itaque volens vehementius demonstrare Deus hæreditibus promissionis immutabilitatem sui consilii, jusjurandum interposuit, ut per duas immutabiles res (neque enim fieri potest ut Deus mentiatur) validam & firmissimam consolationem habeamus, qui ad obtinendam spem propositam configimus.* Et alio loco (d) ait: *Περὶ ὁλογράφων εἰδήσεων πατέρων αὐτὸν οὐδὲ διδασκαλεῖ. Fidelis εἴστι σύνθημα τοῦ Θεοῦ, & si vel maxime non credimus, ille tamen fidelis manet, quia seipsum negare non potest.* Quotquot igitur te nere a promissis recedunt, quod a Fœdifragis in primis fieri vide nus, injuriæ sunt in ipsam justitiam DEi immutabilem, cuius semina Deus cunctis mortalibus per naturam rationalem indidit; seque adeo gravi impietatis criminè obstringunt.

(a) *Gratianus II. XI. 4.* (b) *Nehem. IX. 7. 8.* (c) *Hebr. VI. 13. 17. seqq.* (d)  
2. *Tim. II. 11. 13.*

### §. III.

Hinc vel ipsi gentilium saniores & sapientiores, solius rationis lumen collustrati, perfidiam fœdifragorum tantum detestati sunt, quantum est contrario in servanda ac præstanta promissorum fide laudis atque honoris posuerunt. Instar omnium hic nobis esse poterit, decus illud non modo Romanæ eloquentiæ, sed sobriæ etiam, quantum in hominem ethicum cadere

po-

potest, philosophia, Cicero, (a) qui Recte, ait, *majores eum, qui socium fecellisset in Virorum bonorum numero non purarunt haberri oportere*: Imo, quod ipse addit, *in rebus etiam minoribus socium fallere turpissimum est*. Idem (b) paulo ante, *Turpem banc culpam esse, pronuntiaverat, quæ duas res sanctissimas violat, amicitiam & fidem.*

(a) Cicero Orat. pro Sex. Rose. Amerino cap. 40. (b) Idem l.c. cap. 39.

#### §. IV.

Quemadmodum enim FIDES, h.e dictorum conventionumque constantia, veritas & effectus, teste modo laudato Cicerone, (a) omnis iustitiae fundamentum, & ex eo nomen traxisse creditur, quia fiat (vel certe fieri debeat) quod dictum est. Ita, Quintiliano (b) ex vero judicante, *supremum rerum humanae vinculum est, cuius sacra laus inter hostes, sacra inter ipsos piratas*. Quo sensu & Appius Claudius apud Dionysium Halicarnassensem & Livium (c) Fidem vocat: *ιερὸν χέντα, μεθ' οὗ πάσας τοῖς οὐκεῖται αὐτοὶ λαὸς*; i.e. Rem sacram, quæ tutas civitaribus praefata sedes, eaque abrogata, omnis humanae societas tollitur. Et Lysis (d) inter sanctiora, inquit, voluntatis divinae decreta nullum ad conservandum societatis humanae nexum firmius, nullum validius est, quam fidem semel datam sancte custodire atque servare; nihil vero ad turbandum genus humanum & ad evertenda immutabilia naturae iusfa pronius est, quam si fides semel inita (& in foederibus in primis sancte interposita:) violetur. Ex quibus ultro consequitur, inimicos esse Societatis humanæ, & capitales securitatis publicæ hostes, quicunque fidem in foederibus datam, & haud raro jure jurando firmatam, nefarie frangunt. Ast, quid turpius, quid detestabilius, quid magis odiosum & execrandum, quam eorum in numero haberi, qui apud omnes Viros honestos, rectique ac justi amantes, societatis humanæ ever-

fo-

fores, nec non publicæ tranquillitatis ac securitatis turbatores audiunt?

(a) *Cit. Offic.* I. 7. (b) *Quintilianus Declamat.* 343. (c) *Halicarnass.* Lib. VI. p. 387. & *Libius* VI. c. 41. (d) *Lipsius Exempl. & Monit. Polit.* L. II. c. 13. §. V.

Quid quod magnifici ejusmodi promissores, fidem in servando negligentes, seipso perpetuo, apud suæ non modo ætatis homines, sed posteros etiam ludibrio atque contemtui exponant. Ita Antigonus III. Macedoniæ Regem ex eo, quod largus quidem fuerit promissor at parcus vel nullus pollicitorum effector *Dosonis* (quasi dicas *Dabonis*) nomen accepisse, Plutarchi fide refert *Jo. Frid. Reinhardus.* (a) Eandemque ob causam Pertinax Imperator teste *Julio Capitolino* (b) *Chrestologus* h. e. Verbis munificus & liberalis est appellatus. Sed quemadmodum privatos illud in negotiis privatis dedecet, ita multo magis dedecori & turpitudini erit Principibus Viris, in negotiis publicis fidem & promissa fallere.

(a) *Reinhardus* in *Theat. Prudent. Elegant.* seu *Notis ad Lipsiæ Politic.* Libr. II. c. 14. §. 7. (b) *Capitolinus* in vita Pertinac. c. XIII.

## §. VI.

Merito igitur inter laudes Germanici, Tiberii Imperatoris consobrini, refert *Tacitus*, quod (a) Legiones adversus Tiberium tumultuantes, eum ad perfidiam & simul ad occupandum oblatum imperium, morte Augusti vacans, sed Tiberio jam destinatum infestis etiam armis frustra sollicitarint: *Quanto inquit, summæ spei propior erat Germanicus, tanto impensis pro Tiberio nitebatur.* Cumque faustis in Germanicum omnibus, si velllet imperium, promptas se ostentarent; quasi Icelere contaminaretur præceps tribunalii desiliuit. Opponentibus vero abeundi arma minitantibusque ni regredieretur: *Moriturum potius, quam fidem exueret, alta voce clamavit,*

vit,

vit, ferrumque simul à latere deripuit, elatumque detulisset in  
pectus, ni proximi prensam dextram vi attinuissent. Vox certe  
generosa tantoque Heroë digna, quæ merito foedis fœdifragis  
omnibus, ac fidem temere violantibus, justum incutiat rubo-  
rem, nisi omnem animo jam excusserint pudorem. Æque  
memorabile & vere Regium erat effatum, quo inter Reges do-  
ctissimus, & inter doctissimos Rex ille Jacobus Angliæ, oratio-  
nem suam, quam primam ad Ordines Regni, non minori gra-  
vitatis, quam eloquentia laude habitam, velut Epiphonemate  
quodam omnibus Principibus commendando, obsignavit: (b)  
*Ego, inquit, in ea semper mente fui, optimam Regis eloquentiam esse  
simplicitatem & candorem: Nam Sermonem Regium ambiguum aut  
perplexum esse non decet, ut instar Veterum Oraculorum, quæ à Diis  
edebantur in contrarios sensus rapi queat & distrabi; & hæc est sim-  
plicitas. Candoris nomine illud honestum intelligo, quo ejus oratio-  
nem vitamque omnem incoclam esse oportet, ut quantum dignitate reli-  
quos supereminet, tantum etiam candore præcellat & linguam faciat  
veracem mentis nunciam.*

(a) Tacitus Annal. L. I. c. 34. & 35. (b) vid. Opera Jacobi Magn. Brit. Regis ex  
Edit. Montacutii Orat. I. p. m. 494. seqq.

### §. VI.

Qyanta præterea apud ipsos Ethnicos fidei in servandis  
fœderibus reverentia, perfidiæ vero odium & detestatio fuerit,  
vel inde patet, quod Duces eorum in bellis, antequam prælium  
ingrederentur atque infesta hostibus signa inferrent, milites suos  
de justitia causæ & armorum securos reddere, omnem operam  
atque studium adhiberent, quo tanto animosius deinceps arma  
capeſſerent, atque in hostes intorquerent, adeo, ut Cai. Pontius  
Samnitum Imperator, Livo teste (a) cum causæ suorum minus  
confideret, non ante pugnam committere ausus fuerit, nisi pri-  
us oblata deditione rerum & satisfactione. Reculantibus vero

K

Ro-

Romanis, & accipere negantibus res oblatas, quas Samnites, tanquam prædas captas post ruptum fœdus, injusto titulo se detinere credebat, Pontius latus & quasi jactabundus ad legiones suas : Ne nihil actum, inquit, bac legatione censearis, expiatum est, quicquid ex fœdere rupto irarum in nos cœlestium fuit. Quid ultra tibi, Romane, quid fæderi, quid Diis Arbitris fœderis debo? quem tibi tuarum irarum, quem meorum suppliciorum judicem feram? Neminem neque populum neque privatum fugio : Tandemque in hæc fiducia plena definit verba : Justum est bellum, Samnites, quibus necessarium : & pia arma, quibus nulla nisi in armis relinquitur spes : Proinde, quam rerum humanarum maximum sit, quam propitius rem, quam adversis agant Diis ; pro certo habete, præ ora bella adversus DÉos magis, quam homines gesse : hoc quod instat ducibus ipsis Diis gesturos. Nec defuit dictis eventus ; siquidem hæc ipsa illa expeditio est, qua Romanus exercitus, in angustias Caudinas redactus, deditus & ignominiosissimæ pacis conditionibus, sub jugum hostium suorum missus fuit. Idem constat de maximis illis Duumviris bellatoribus & Romanorum copiarum Imperatoribus fortissimis, Cæsare nimurum atque Pompejo M. qui, cum jam in eo essent, ut infestis animis armisque concurrent, oratione ad concionem militum habita, id pro partibus egerunt, ut quisque eorum suis justitiam causæ persuaderet, deque eadem certos ad ferocius fortiusque pugnandum incitaret : Hinc Pompejus apud Lucanum (b) inquit :

*Causa juber melior superos sperare Secundos,*

Eademque fiducia Cæsar, apud eundem ait :

*Hæc est illa dies*

*Hæc fato quæ teste probet, quis justius arma*

*Sumferit, bac acies vietum factura nocentem est.*

(a) *Livini IX. L* (b) *Lucanus Pharsal. Libr. VII.*

§. VII.

## §. VII.

Sed quid opus est, multis sive verbis, sive argumentis, atque exemplis fœditatem violationis fidei ac promissorum in fœderibus ostendere ac demonstrare; cum dedecus & turpitudinem ejus, ipsi Fœderum ruptores & violatores satis superque agnoscant, seque de eadem persuasos pleneque convictos esse, vel eo satis luculento prodant indicio, quod matæ suæ causæ modo varia excusationis argumenta operose conquerant, modo justi rectique speciem sive prætextum conciliare anxie laborent, nullam aliam ob causam, nisi ut imperitis fucum faciant, viatæ fidei infamiam à se amoliantur, aliisque persuadeant, culpmam non penes se, sed Consœderatos hærere. Unde & ipse famosus ille nefandæ hujus artis Magister, *Machiavellus*, (a) fœditarum perfidiæ haud diffiteri potuit, dum vel invitus pietatem illorum Principum prædicat, qui à sanctitate fœderum recedere sibi religioni ducunt: *Quam sit laude dignum in Principe, inquit, paetam fidem servare, atque vitæ integritatem, sive ulla labe conservare, nemo est qui non intelligar.* Sed quam parum illa ipsa fidei Sanctitas, Machiavello cordi fuerit, ex subsequentibus illius capitisi patet, ubi principibus ad rumpenda fœdera proclivis, variis hujus artis regulas & præcepta suppeditando, quasi calcar addit, iisque in primis illud Lysandri principium commendat, ut in iis negotiis, quibus jus non sufficit, vim leoninam, vel astutiam vulpinam adhibeant; quod, cum superius (b) jam variis ex superiorum temporum historia peritis exemplis probatum dederimus, pluribus in præsenti persequi supersedemus, ne actum agere videamur.

(a) *Machiavellus* in *Princip.* c. 18. (b) vid. supr. §. XIX. seqq.

## §. VIII.

Ad infelicem potius & minus faustum violatorum fœderum sive successum sive eventum, quod unum nobis in hac mar-

teria adhuc expediendum superest, pedem promovemus. Quodsi persiasum nobis est, præpotens aliquod Numen rebus humanis tam Togatis quam Sagatis præesse, quod immutabili-  
ter justum omnia hæc inferiora dirigat ac moderetur, quod ne-  
mo nisi irreligiosus empæcta & homo plane Atheus negabit, vel  
someter in dubium vocabit; Qualem quæso armorum successum  
aut negotiorum exitum sperare poterit, qui neglectis justitiæ  
ac honestatis legibus, aliena pro lubitu invadit, sanctissimo-  
rumque fœderum vel exiguum vel planè nullam rationem ha-  
bet, quæ tamen infringenda, vel ulla ratione violanda Divina  
humanaque jura negant. Hinc in omnibus ferme cum anti-  
quioris tum recentioris Historiæ monumentis tot & tam hor-  
renda se nobis offerunt exempla eorum, qui maximo cum dam-  
no suo tristissimas violatae fidei pœnas dedere, ut veritatem hu-  
jus asserti demonstraturi, copia potius quam inopia laborare vi-  
deamus: Ex quibus pro instituti ratione, cum latius jam in hoc  
argumento evagatis vela tandem contrahenda portusque respi-  
ciendus sit, potiora tantum, maximeque illustria & memorabi-  
lia hac vice in medium proferemus.

## §. IX.

Ne vero altius ascendamus, ex Antiquiori Historia Roma-  
na primus nobis occurrit *Mettius Suffetius*, vel ut aliis, *Halicar-  
nasseum secutis*, placet, *Fufferius*, Rex sive Dux Albanorum; Cui perfidia in bello Fidenatum adversus Romanos, omittendo magis quam committendo admissa, tam infelicer cessit, ut à Tullo Hostilio, Rege Romanorum, quadrigis discerpitus fuisse erit. Constat illud ex gravissima Oratione Tulli, quam una cum tristissimo facinoris hujus exitu *Livius* (a) refert his ver-  
bis: Tum Tullus, *Metti Fufferi*, (quem paulo ante in concione  
ad populum utriusque gentis habita, *Fæderis Romani Albanique  
Ruptorem* vocaverat) inquit, si ipse discere posse fidem ac fœdera-

ser.

servare ; vivo tibi ea disciplina a me adhibita esset. Nunc, quoniam tuum insanabile ingenium est, tu tuo suppicio doce humanum genus ea sancta credere, qua a te violata sunt. Ut igitur paulo ante animum inter Fidenatem Romanamque rem anticipitem gessisti, ita jam corpus passim distractabendum dabis. Quibus dictis, mox duabus admotis quadrigis, in currus earum distentum illigari iussit Mettium Tullius Hostilius. Deinde in diversum iter equi concitati, lacerum in utroque curru corpus, qua inhæserant vinculis membra portantes; a cuius spectaculi fœditate omnes oculos avertisse Livius commemorat, suamque mox subjicit epigram : Primum hoc, ultimumque illud supplicium apud Romanos exempli parum memoris fuisse; in aliis gloriari posse, nulli gentium mitio res placuisse pœnas.

(a) *Lipius Libr. I. c. 29.*

### §. X.

Proximum sed æque triste exemplum præbet Respublica Carthaginensis, quæ gravissimas itidem bis violatæ fidei dedit pœnas funesto tandem Urbis excidio. Vix enim Hannibal, causas novorum motuum quærens, Saguntum veterem illam Hispaniæ civitatem, opulentram, fideique erga Romanos magnum quidem sed triste monumentum, & suis & ipsorum manibus everterat, utrupto fœdere Italiam sibi aperiret; cum ecce Scipio ille, cui Africæ eversio Africani peperit nomen, post tot Romanos inter & Poenos dubio Marte editas pugnas & strages, ipsas tandem Carthaginis portas obsidione quatiens, inhærentem non modo & incubantem Italiam Hannibalem extorqueret, sed & ad incitas redactos Carthaginenses, inquisimis legibus pacem inire cogeret. Qvibus cum minime starent, sed contra Fœderis legem adversus Numidas quidem classem & exercitum parassent, frequentes autem Masinissa fines terrabant, tertium

K 3

bel-

bellum contra illos decretum est , cuius flebilis ille tandem fuit exitus, ut Catonis consilio potentissima hæc juxta & antiquissima Civitas, LXX. annis ante Romanum urbem condita, postquam quadraginta milia: Virorum Duce Aldrubale se dediderunt, horrendo XVII. dierum incendio funditus deleta sit ; id quod longa serie narrat *Florus* ( a ) Epitomator ille, ceu vulgo creditur, Livii.

( a ) *Florus* in Epitome Rer. Romanar. Lib. II. cap. 6. & 15.

§. XI.

Sed missis antiquioris ævi exemplis, ad recentiora descendenteribus saecula sece offert Uladislaus, inter Poloniæ Reges III. Hungariæ vero hujus nominis Primus, qui funesta & miseranda tot millium clade, documento fuit posteris, temerarios fœderum Violatores raro ultricem Summi Numinis effugere dextram. Cum enim antea felici semper armorum successu adversus juratum Christiani nominis hostem, Amurathem Turcarum Imperatorem, pugnasset, ut pote qui fusis per quatuor Joannis Corvini victorias Turcarum copiis, quinto tandem eoque proprio Marte regiam expertus fortunam, deletis quadragesinta Barbarorum millibus & quatuor captis, terocissimum hostem, ad tantas rediget incitas, ut supplex pacem petere coactus fuerit ; quam tandem etiam impetravit, iecto inter Uladislaum & Amurathem fœdere pactisque X. annorum induciis, iisque non modo solenni juramento firmatis, sed insuper & hostia consecrata, ceu supra (a) docuitmus, Barbaro in pignus fidei minus fallacis tradita. Mox tamen, sive facti pœnitentia ductus, sive inconsultis Eugenii IV. Rom. Pontificis illiusque Legati & purparati Juliani consilio & persuasionibus inductus, vel potius seductus, rupto fœdere, arma feliciter & cum honore posita, infeliciori omni, infelicissimoque auspicio atque successu resumens Uladislaus, & exiles copias ingenti hostium multitudini parum

pru-

prudenter objiciens, fatalem nullisque sacerulis tacendam illam ad Varnam Bulgariae oppidum Anno 1444. edidit pugnam: In qua, cum aliquandiu, Christianis pro fide, Turcis vero pro vindicanda perfidia acriter dimicantibus, æquo vel faltem dubio Marte pugnat, & Turcarum acies ferme inclinata esset, Amurathes spem victoriae propernudum abjiciens, de promtum ē sinu Codicem initi sanctissimè foederis explicans, intentis in cœlum oculis, sublata Sacra hostia, sibi, ut diximus, à Uladislao pignori opposita, hunc in modum ingeminasse fertur: (b) *Hæc sunt, JESU CHRISTE, fædera, quæ Christiani tui mecum percussere.* Per Numen tuum sancte jurarunt, datamque sub nomine tuo fidem visolarunt, perfideque DEum suum abnegarunt. Nunc Christe, si Deus es, ut ajunt, & nos ballucinamur, tuas hic measque injurias, Te quæso, ulciscere; & bis, qui sanctum tuum Nomine nondum cognovere, violatae fidei pœnas ostende. Quibus dictis scena pugnae illico mutata, horrenda Christianorum strages edita, tantaque sanguinis copia utrinque effusa est, ut teste *Enea Silvio* (c) campi in modum lacus stagnarint, Turcique tandem cum exitio & internectione totius exercitus Christiani, nec non ipsius Regis Uladislai, pessimique consultoris sui Cardinalis Juliani, miseranda cæde, victores evaserint: Quæ res Petro Comiti de Reva anfam dedit, tumulum Uladislai sequenti ornare Tetraëdrico:

*Romulide Cannas, ego Varnam clade notavi.*

*Discite mortales non temerare fidem:*

*Me nisi Pontifices jussissent rumpere foedus,*

*Non ferret Scyrbicum Pannonic ora jugum.*

(a) Cap. 1. §. 22. (b) Totidem Verbis illud referit *Ant. Borbinius, Rer. Hungaric. Decad. III. Lib. VI. p. 488.* (c) *Eneas Sylvius Epistola, ad Leonhardum Episcop. Patavienensem, que in Vol. Epistol. Edit, Rarissima Nürnbergensis Ao. 1481. Fol. Num. LXXXI. legitur.*

### §. XII.

Equidem sunt, imprimis ex Scriptoribus Romano-Catholicis

licis qui Uladislao perfidiæ maculam abstergere conantur; Quod eo mintis mirandum; quoniam ex impia Pontificiorum hypothesi, Hæreticis & infidelibus nulla fides servanda est. Præterea Eugenius Papa velut caput ecclesiæ, Christique in his terris Vicarius, (quales se omnes Romani Pontifices falso ac temere jactant) ut ligandi ita & solvendi potestatem summam sibi vindicans, per Legatum suum, supra dictum Cardinalem Julianum, ab omni perjurii & perfidiæ culpa (a) Regem penitus absolverat. Jesuita igitur Alb. ab Ines (b) in Elogiis Historico-Politicis Ducum, Principum, ac Regum Poloniæ: *Icti, inquit, cum Turca foederis nexus frustra hic objicias. Soluti ei fuere, non ab eo rupti, qui publicis tortus Reipubl. commodis, privatas regnorum suorum fortunas impedit, turperatus, pro adeo bona causa sero vincere, aut non cito mori.* Ast, potiores Rerum Hungaricarum Scriptores, (c) qui Tragicum injusti hujus belli exitum literis confignarunt, ipsique cordatores Pontificiorum, veritatem & fœditatem facti negare, vel saltem in dubium vocare religioni sibi duxerunt, sed ingenua potius confessione sua, Uladislauum æque minus à perjurii ac perfidiæ culpa absolví posse negant.

(a) Digna sane lectu est Oratio Cardinalis Suasoria apud Bonfinium l. c. p. 484, qua Regem Uladislauum non solum ab omni perjurii & perfidiæ infamia penitus absolvit, sed ejusmodi etiam ad rumpendum fœdus induxit argumentis, quorum merito quemicunque Virum honestum, nedum Cardinale pudeat v. g. omni in perfidum hostem arte, vi ac fraude, utilicere; artem arte eludendam & fraudem fraude circumveniendam esse: Cæsarem quoque imperandi causa, jus quandoque violandum censuisse: atque Philippum, domitoris Asiae parentem calliditate ac dolo saepe malo imperandi cupiditate usum, non tamen propterea proditores esse appellatos. Fas esse quandoque publicæ salutis gratia neque stare pactis, neque perfidis servare fidem. Egregia scilicet Philosophia S. R. Ecclesiæ Cardinalis, qua nec pessimus quisque Pseudo-Politicus pejorem contumesci posset. (b) Alb. ab Ines in Elog. Uladislai III. p. m. 235. (c) Posterior allegatos supra Cap. I §. 22. Scriptores, evolvi quoque merentur Lao-nic. *Chalcocondylas* de Reb. Gest. Turcar. Libr. VI. & VII. & Phil. *Callima-chus*

chus de Reb. Gest. Uladisl. & pugna Varnenfi in *Jac. Bengarfii Collectio-*  
ne Scriptorum de Reb. Hungaricis Franckf. 1600. Fol.

## § XIII.

Ut enim alios in præsenti omittam, *Simon Starovolscius*  
 (a) *Polonus, Scriptor que domesticus, & ipse Pontificius, se-*  
*quentem in modum de hoc Uladislai facto scribere nullus*  
*dubitat: Petente pacem Amurathe, inducias X annorum dedit, his*  
*legibus, ut *Albania* & *Rascia* munitiones suo Despotæ restituerentur.*  
*Interim pollicentibus Christianis principibus auxilia, & Juliano*  
*Cardinali a juramento dispensante, bellum iterum contra datam fidem*  
*susccepit, postque medium Septembris Segedino castra movit, non satis*  
*alacer nec spe optima, propterea quod violari a se foedera & jurisju-*  
*randi religionem cogitare non poterat. Fides etenim, quando promit-*  
*titur, etiam hostibus est servanda contra quos bellum geritur, inquit*  
*Augustinus ad Bonifacium scribens; quia levissimi atque inconstan-*  
*tis, imo perfidi hominis est factio non implere, quod jam ante pronunci-*asti.** Et supra laudatus *Æneas Sylvius*, poltea ad Pontificaliem  
 sedem evectus Pii II. nomine notus, narrationem suam in al-  
 legata Epistola his concludit verbis: *Diu certatum est æquir*  
*viribus, dum Christiani suas acies virtute sustentant; Turci vero nu-*  
*mero supplent. Cumque per plures horas nunc illi, nunc isti cederent,*  
*ad extremum inclinata Christianorum acie Victores evadunt Turci;*  
*juramentaque non solum domesticis fidei, sed etiam hostibus servan-*  
*da demonstrant. Quibuscum etiam sentit Comes Franciscus*  
*de Nadaid (b) in Elogio Uladislai: Decem, inquit, annorum in-*  
*dulgentiam concesserat tyranno. At quia tantum boni publici the-*b**  
*saurum, in consulto Eugenio Papa, dispensaverat, vel facti pænitens,*  
*vel lœsi Summi Capitis, quæ feliciter posuerat infelicissime refumfit*  
*arma. Quia fidem non servavit, pugnatum ad Varnam luctuosos spe-*  
*ctorum, plus ter quinque millibus Christianis tragicó, sacris & profa-*  
*nis Purpuris funesto, super hæc Regi ipsi acerbo. Utpote cui non mo-*  
*do e vivis sed etiam mortuis amissi, nulla pro tanti meritis licuit repen-*  
*dere justa, afflictæ pro Uladislao suo patriæ.*

(a) Sta-

L

(a) Starobolcius in Sarmatiae Bellatoribus num. 49. p. m. 101. (b) Comes de  
Nadojd in Mausoleo Regum ac Ducum Regini Apostolici p. m. 101.

§. XIV.

Haud dissimilem perfidiæ suæ in eosdem Barbaros admissæ fructum expertus est Ludovicus II. Præcox & *Ante DI-  
eM natVs*, (a) Hungariae & Bohemiae Rex, itidem pessimis a-  
micorum suorum consiliis eo perductus, ut Legatum Turci-  
cum cœntra datam fidem & pacis leges, imo contra gentium  
jura per integrum annum justa sine causa detentum, una cum  
universo Comitatu suo, abscissis antea nafis deturpatos, en-  
se trucidari, eorumque corpora in prægrandem piscinam, ne  
vestigia cœdis exstant, projici jusserit. Solimannus ergo  
Turcarum Imperator, tantam ignominiam & perfidiam via-  
dicaturus, innumerabili propemodum exercitu contracto,  
Regem admodum Juvenem & vigesimum vix annum ingre-  
sum, adeoque per ætatem & educationem rei bene gerendæ  
plane imperitum, præterea omni ad resistendum præsidio,  
in primis belli peritis Copiarum Ducibus destitutum Ao. 1526.  
d. 29. Aug. prope Mohacum tanta ferocia adortus est, ut pau-  
cas intra horas, non totius modo Christiani exercitus lu-  
ctuofissimam ediderit stragem; (siquidem ex 26000 numero, X.  
millia equitum & XII. millia peditum in ipsa acie cecide-  
runt, reliquis utcunque fieri potuit, fuga sibi consulentibus)  
sed passim deinde saevientibus Turcis, eandem cum Rege suo  
fatalis urnæ sortem experiri coacta Hungaria, Ducenta suo-  
rum millia eodem luctu deploraverit. Hæc est memorabi-  
lis illa simul & miserabilis Mohaziana clades, qua, ut *Nic.  
Istuanus* (b) totius Hungariae nomine queritur, antiquum  
gentis nostræ decus floremque nobilitatis & militiae & quicquid vi-  
rium habebamus, una eaque funestissima dimicazione prostratum ami-  
finus, capimusque cum inexplibili ignominia nostra, qua Barbarorum  
iusto-

intolerabile jugum, qua exterarum nationum servitutem subire ac per-  
peri; ita ut temerarios ac infanos inauspicatae pugnæ auctores, qui  
optimum & mansuetissimum Regem juvenem hostibus maclandum ob-  
tulerunt, ac patriam in has miseras & calamitates præcipitarunt,  
jure meritoque omnibus diris devovendos censemus.

(a) Quæ Verba annui ejus natalem designant, quo prematuro partu in lu-  
cem editus est: Unde & omnia in eo præmatura & festinata fuere: Si-  
quidem mox anno etatis secundo coronatus; anno X. Regni habens ipse  
moderatus; XIV. Barbatus, XV. Uxoratus, XVIII. Canus, denique XX.  
præmatura sed flebili morte extinctus fuit. (b) Ithuarius Ker. Hun-  
garic. Lib. VIII. p. m. 139.

## §. XV.

Longum utique foret, si eo quo cœpimus ordine, reli-  
quorum etiam sæculorum memoriam excutere, & quicquid  
exemplorum infelicitter foedera rumpentium, passim in Hi-  
storiarum monumentis exstat, eruere & conquirere animus  
esset: Non tamen taciti præterire possumus infaustum illum  
armorum successum, quem Maria Angliae Regina post rup-  
tum, suasu mariti sui Philippi II Hispaniarum Regis, foedus  
& indictum Anno 1557. Henrico II. Galliarum Regi bellum,  
experta est. Postquam enim Regina Gui. Noreum fecialem  
bellum suo nomine Regi Galliæ denuntiatum miserat, is  
quoque, pro more, de geniculis coram Rege, quæ in manda-  
tis habebat, exposuerat; Henricus, referente Thuano (a) in  
conspicüo Procerum regni, ac Pontificis, Lusitanæ Regis, Ve-  
netorum Reipubl. ac Ferrarensis Duci Oratorum: Accipe-  
re quidem denuntiationem dixit, ceterum omnes scire, se quantum  
in ipso fuerit pacis inter Gallos & Anglos initæ conditionibus plene fa-  
tisfecisse, & sincera fide amicitiam cum Regina coluisse, uti semper  
cum omnibus fecerit & porro fakturus sit: Ac proinde sperare Ultor-  
um violati fœderis Deum, ac fore, ut hoc bellum, uti olim fere semper  
nuperque, sic nunc Anglis detrimentosum futurum. Et sane non  
defuit eventus, sed per omnia respondit verbis Regiis, futu-  
rum

rum malum præsagientibus. Quam infelici enim Marte in hoc bello adversus Gallos pugnarint Angli, vel ex eo patet, quod biennio post insignis ille portus Caletanus, qvem Angli magno cum Regni sui emolumento, ultra ducentos annos in Gallia tenuerant, injusti hujus belli ruptique fœderis occasione, in perpetuam deinceps Gallorum pervenerit potestatem. Quo infausto armorum successu ipsa quoque Reginam usque adeo dolore affecta fuit, ut eodem adhuc anno 1558. quo dictum amisit portum, ex mœrore animi potissimum mortem contraxisse credatur, *Guil. Camdeno* teste: (b) Qui tamen, quod obiter notamus, cū pam rupti fœderis in Gallum potius conjicere videtur, ex eo, quod contra fœderis leges, *Ducis Northumbriæ & Thomæ Wattii* rebelliones, *Dudlei & Ashtoni* machinationes in ipsam, per Administros suos foverit, piratas in Anglicos mercatores emiserit, *Staffordium* armis & navibus ad Castrum Scarburgum occupandum instruxerit, Caletum malis artibus tentaverit, aliisque ex rationibus, quas Reginam Angliæ pro justitia armorum suorum allegasse, ac Regi Galliæ imputasse, dictus modo Camdenus refert. Quam tamen litem in præsenti non facimus nostram, sed aliis Politicis definiendam relinquimus.

(a) *Tibuanus* Lib. XIX. ad ann. 1557. p. m. 187. (b) *Camdenus* in Annalib. *Rei. Anglicar.* p. 31.

### §. XVI.

Id certum est, Reges Galliæ violatæ fidei docimenteris jam olim apud exteris gentes eam sibi peperisse opinionem, quod fidem fallendi & foedera rumpendi infamiam in minimis ponant. Id vero cum superius jam aliquot exemplis ex Historia Gallica petitis à nobis sit demonstratum, h. i. unicum adhuc, illudque omnium atrocissimum, Caroli IX. adduxisse sufficiat. Is enim cum contra fidem & fœdus Anno 1571. cum Hugonottis seu Protestantibus initum, in cruen-

cruentis Henrici Navarrei cum Regia Principe atque Sorore Margaretha nuptiis, seu notissima illa sed & crudelissima Lanienae Parisiensi (cujus infamem memoriam ipse Thuanus apud posteros extinctam & oblitteratam cupit, illos Statii Papiniani versus ad eam accommodans :

*Excidat illa dies ævo, nec postera credant  
Sæcula ; nos certe taceamus, & obruta multa  
Nocte, tegi propriæ patiamur criminagentis : )*

ultra Sexaginta Milia Protestantium horrendum in modum trucidasset, non modo enatum inde novum cum Hugonotis bellum summo cum dedecore finire, & Rupellarum obsidionem, quas frustraneo conatu per octo menses arctissime cinxerat, XII. milibus suorum militum cæsis, turpiter solve-re coactus est ; sed justas insuper pœnas detestandi hujus fa-cinoris, breviante suum ex hac vita discessum dedit. Siquidem, Thuano (a) teste, post longos eosque gravissimos in cor-pore dolores, diu ante mortem se mori sensit. Quid quod sem-per & ubique locorum anxiæ mentis stimulis ac perpetuis conscientiæ terroribus agitatus, nulla unquam solida quiete perfrui potuerit, adhibitis licet ad eandem conciliandam ex-quisitiæ mis Artis Musicae magistris, turbatum animum fru-stra & incassum demulcere laborantibus, ita, ut diræ formidi-ne culpæ trepidus, nunquam ex eo tempore ad læta respirare potuerit : scilicet, ut Juvenalis (b) canit :

*Quos diri conscia facit  
Mens habet attonitos ; & surdo verbere cædit  
Occultum quatiente animo tortore flagellum,  
Quas & Ceditius gravis invenit & Rbadamantus,  
Nocte dieque suum gestare in pectore testem.*

Imo, si nonnullis scriptoribus fides habenda, paucis diebus ante, quam infelicem eructaret animam, erumpente per omnes

corporis poros sanguine, subito in terram concidisse, sicque cruce madens omnibus ac singulis horrendum justissimæ ultionis divinæ spectaculum præbuisse, fertur.

(a) *Tibuanus* ad ann. 1574. Libr. LVII. p. m. 604. seqq. (b) *Jubinalis Satyr.*  
XIII. vers. 193. seqq.

### §. XVII.

Sed ad nostra tandem ut deveniamus tempora, recentissima infausta fœderum violationis exempla præbent Duo Imperatores Turcici & Christiani nominis hostes, Mahomet IV. & Achmet III. quorum ille, suauis Teckelii rupto vicennali armistitio ingenti exercitu Hungariam invadens eo audaciæ procesit, ut ipsam Imperatoriam sedem Viennam gravi obsidione cingens, Austriacis non modo terris atque provinciis, sed Universæ etiam Germaniæ exitium minaretur. Deo autem pro meliori causa stante & perfidiam in hoc quoque Barbaro vindicante, invictis Leopoldi armis, sociatisque Polonorum, Bavarorum, Saxonum & Venerorum auxiliis, maximo exercitus Turcici detimento fortiter non modo ab obsidione repulsus, sed variis insuper iisque gravissimis ad Barcanum, Strigonium atque Mohazium cladibus affetus, munitissimisque Hungariæ locis Strigonio, Neosolio, Buda, Essecco, Petri-Varadino & compluribus aliis exutus est. Ejus vero in sede Solioque Imperatorio successoribus, Solimanno III. Achmete II. & Mustapha III. injustum illud bellum per sequentibus, duplicum adhuc memorabilem Turci stragem sunt passi, alteram prope Salanckermen urbem, ductu Ludovici Principis Badensis; alteram, auspiciis fortissimi Herois, & recutitæ hujus gentis mallei, Principis Sabauidia Eugenii ad Zenthalam, in qua ultra 20000. infidelium in acie ceciderunt; ereptis præterea adhuc ex fauibus Turcarum Alba græca, Mongatschio, Bydena, Canisia aliisque illustribus Hungariæ civitatibus; ex quibus tamen Alba græca non multo post, incertum proditione an negligenter Præsidio præfecti, rursum in potestatem eorum, saltem ad breve tempus, redierat. Ad ultimum victoribus Christianorum

rum

rum armis fœdifragi Turcæ in tantas redacti sunt angustias, ut supplices pacem petere coacti sint. Quam tandem etiam justis conditionibus circumscriptam imperstrarunt, pacis iterum ad **XXV.** annos inducis Carolovicensibus A. R. S. MDCXCIX.

## §. XVIII.

Verum nec in his observandis Achmet III. fidem præstitit sed XVI. annis vix elapsis denuo Venetis, quos eadem pax comprehendenterat, bellum inferendo temere violavit, quam infelici autem fidere infaustoque armorum successu, vel inde colligere licet, quod post duo maxime cruenta & Turcico imperio cum primis exitiosa prælia, quibus terror ille hostium suorum, modo laudatus gloriosissimus Sabaudiae Princeps Eugenius, vim atque ferociam infidelium fregit, perfidiam suam jactura duorum validissimorum propugnaculorum, Temesvariae nimirum & Albae græcæ, iisque annexarum provinciarum, luere coactus sit, sat habens, quod per pacta Passarovicensia, Anno MDCCXVIII. conclusa, XXIV. annorum inducias ex gratia Augustissimi Imperatoris Carol. VI. denuo consecutus fuerit. Quamvis nec in eo divinæ ultiōnis substiterit meta, siquidem post aliquot annorum decursum ipso tandem Imperatorio solio dejectus, ad hunc usque diem, in squalore carceris miseram vitam trahere tenetur.

## §. XIX.

Atque hac est justa ac protmerita illa merces, cui similem omnes nefarii Fœderum Ruptores Fideique temerarii Violatores à Nemesis divina certo sibi polliceri poslunt. Quamvis enim benignissimum Numen præfracte improborum ejusmodi hominum penas, pro sua in peccatores longanimitate atque clemencia, aliquandiū differat, raro tamen eos, in hac etiam adhuc vita impunitos relinquit, licet sero in eos animadvertis. Unde *Julius Cæsar* (a) Helvetiis insolenter suis victoris gloriantibus, seque tam diu impunes tulisse injurias admirantibus, utrumque eodem pertinere respondit: *Confusse enim DEos immortales, quo gravis*

vitis

vius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere eorum uicti velint, hi  
jucundiores interdum res & diuturniores impunitatem concedere. Etenim, ut Ju-  
venalis ait: (b)

*Uit sit magna, tamen certe lenta ira Deorum est.*

Id quod Agamemnon etiam apud Homerum (c) ad foedifragos in primis  
trahit, ubi saucium ex vulnere Menelaum his inter alia affatur verbis:

*Chare frater, in mortem certa tibi foedera feriebam,  
Solum obiciens pro Achivis cum Trojanis pugnare:  
Sic te vulneraverunt Trojani & foedera fida conculcarunt.  
At nullo modo irritum est justuvandum, sanguisque agnorum;  
Foederaque mero facta & dextra juncte, quibus fidebamus.  
Tamen si enim statim Olympius rem non perficerit,  
Tamen etiam sero perficiet: & magno luente  
Cum propriis capitibus, uxoribusque & filiis.  
Bene enim ego hoc scio in mente & in animo:  
Erit dies, cum alignando peribit Ilinm sacrum,  
Et Priamus, & populus bellicos Priami.  
Iupiter autem ipsis Saturnius in alto sedens, in ethere habilius.  
Ipse incutiet migrantem Aegida omnibus.  
Ob hanc fraudem iuratus. Hec quidem erunt hand irrita.*

(a) Cesar de Bell. Gallic. L.I. c. 14. (b) Juvenalis l. c. vers. 100. (c) Homerus Iliad. Lib. IV.

§. XX.

Proinde pium non minus quam saluberrimum est monitum, quod Consularis ille  
Poëta, Silius Italicus (a) ab ipsa sacra Fide velut acceptum mortalibus suggérerit, dignissi-  
mumque, quod memori inscribant pectori omnes, sive pia & sancta foedera pangentes, sive  
impio ac nefario ausu eadem violantes, ubi in hac solvitur verba, quibus & nos hanc no-  
stram DE FOEDA atque INFIAUSTA FOEDERUM VIOLATIONE Dissertationem  
tandem obsignamus:

- - - *Despectat ab alto*

*Sacra Fides, agitatque virum fallacia corda,  
Vox occulta subi passim diffusa per anvers:  
Foedera mortales ne favo rumpita ferro,  
Sed castam servate fidem! Fulgentibus ostro.  
Hec potior Regnis: dubio qui frangere rerum  
Gaudebit pacta, ac tenues spes linquet amici;  
Non illi domini, aut conjux, aut vita manebit  
Unquam expers luctus lacrymaque, ager equore, semper  
Ac tellure premens, ager egrum nocte dieque  
Despecta ac Violata Fides.*

(a) Silius Italicus Lib. XII. vers. 281. seqq.

TANTUM!





Stettin, Diss., 1713-74


ULB Halle  
005 359 66X

3





B.I.G.  
Black



Farbkarte #13

12  
Q. D. B. V.  
*DISSE*  
*RAT*  
*TIO*  
*HISTORICO - POLITICA*  
DE  
Foeda atque Infausta  
Fœderum Violatione,  
QUAM  
*Summo Adjuvante Numinis,*  
PRÆSIDE  
**MICH. FRIDERICO QUADIO,**  
S.S. Theol. & Philos. Doct. ejusdemque Prof. Publ.  
nec non Regii ac Illustris Gymnasii CAROLINI  
Rectore,  
*Ad d. 27. Maii A. R. S. MDCCXXXIII.*  
*Hora VIII. Ante meridianam*  
In Auditorio Majori  
Publico placidoque Eruditorum Examini  
submitteret  
AUCTOR & RESPONDENS  
**ADAMUS LUDOV. de BLUMENTHAL,**  
Eques Marchiæ ac Pomeran.  
SEDINI, Typis JOH. FR. SPIEGELII, Regii Regimin. & Gymn. Typogr.

